1

COLLECTIO
BULLARUM, CONSTITUTIONUM, BREVIUM, AC DECRETORUM OMNIUM AD SERAPHICUM S. BONAVENTURÆ COLLEGIUM

IN CONVENTU PP MM.S.FRANCISCI CONVENTUALIUM SS. XII. APOSTOLORUM DE URBE

A

SIXTO V.

PONT. OPT. MAX.

EX EODEM ORDINE ASSUMPTO AN. 1587. ERECTUM, SPECTANTIUM,

JUSSU EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI D.

MARII

CARDINALIS MAREFUSCHI

PRÆFATI COLLEGII PROTECTORIS VIGILANTISSIMI

REGENTE, AC RECTORE IN EODEM COLLEGIO REVERENDISSIMO P. MAGISTRO

PHILIPPO SCOCCIACAMPANA

DE CIVITATE-NOVA EX PROVINCIA MARCHIÆ, IN ORDINEM REDACTA:

Cui, præmissa ejusdem Eminentissimi Protectoris Præfatione, accedit ad calcem accurata omnium Protectorum, Comprotectorum, Vice-Protectorum, ac Regentium series.





ROMÆ MDCCLXXX·EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHII.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Fr. A. Marcucci Epiſcopus Montis-Alti Viceſgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

M A R I U S

Tit. S. Auguſtini S. R. E. Presbyter Cardinalis Mareſuſcus, Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis Archipresbyter; SS. Rituum Congregationis Præfectus, & Collegii S. Bonaventuræ cum auctoritate Apoſtolica Protector.

Univerſis Scholaribus, & Alumnis Collegii ſalutem in Domino.



X quo Sanctiſſimus Pontifex PIUS VI. ob eximium virtutum omnium ſplendorem toti Terrarum Orbi ſpectatiſſimus, & æquitatis, ac juſtitiæ cultor integerrimu, per ſuam decretalem Epiſtolam Me, utpote inter Marchiæ Anconitanæ Cardinales Antiquiorem, juxta mentem immortalis memo-

riæ

riæ Prædecessoris sui Sixti V. hujus vestri Collegii Auctoris, & Apostolicæ Sedis fastigio, Patronum declaravit, statim intellexi, eas esse impositi muneris partes, ut quæ ad utilitatem, decorem, & incrementum Collegii ejusdem pertinere possunt, diligentissime curare debeam. Cum autem Societates omnes, & Religiosæ præsertim, tunc tranquillæ sint, floreantque quammaxime, quando legibus potius, quam imperio reguntur, rem vobis utilem me facturum existimavi, si leges omnes sive in ipsa Collegii institutione sapienter statutas, sive pro temporum conditione a Majoribus prudenter additas, typis denuo mandatas vobis singulis exhiberem. Hac enim veluti nova earumdem promulgatione illud futurum confido, ut si quid pro labili humanarum rerum ratione desuetudine fortasse negligitur, ad pristinam observantiam revocetur, aut si aliquid contrarium ex humana infirmitate irrepsit, sit penitus eliminandum.

En igitur vobis, optimæ spei Adolescentes, libellus, quem veluti primum paternæ meæ erga vos sollicitudinis pignus, respicere debetis. Illud vero præ cæteris

vobis

vobis persuadeatis oportet, statuta omnia in ipso contenta eo unice spectare, ut qui in Collegium sunt adlecti religiosis moribus ita informentur, & rerum divinarum scientia imbuantur, ut præ cæteris spectatissimi Ordinis vestri Alumnis in Domo Dei fulgère debeant. Hinc enim intelligetis, me tunc solum Protectoris vestri munere rite functurum, cum nec precibus parcens, nec auctoritati, si opus fuerit, quæ ad exoptatissimum finem conducunt, promovere pro viribus conabor. Qua in re sicuti, Deo adjuvante, partes meæ non desiderabuntur, ita ne vestras umquam desiderari patiamini oro, obtestorque. Si enim quemlibet Ecclesiasticum Hominem dedecet quammaxime nugas Sæculi inquirere, & otio torpescere, quia sublimitas loci, quem occupat, ab omnibus exigit, (1) *ut se ipsum præbeat exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*, quanto magis turpe foret, & iniquum, si vos, qui veluti prædilecti Filii singulari Apostolicæ Sedis beneficio in ipso sinu Ecclesiæ positi estis, peculiari cultu exculti, pluribusque privilegiis aucti, (2) *ut tanquam feraces agri Dominici plan-*

(1) *2. ad Tit. c. 7.* (2) *Sixtus V. Bulla erectionis Collegii.*

plantæ in Sacris Scripturis exponendis, interpretandis, ac publicis verbi Dei concionibus habendis, aliisque spiritualibus officiis, & ministeriis obeundis, sanæ doctrinæ germina latius effundere, & speciales fructus ad communem utilitatem, & salutem producere valeatis; Si vos, inquam, tot gratiis indigne abutentes, nec iis disciplinis animum excolere, nec iis moribus informare sedulo studeretis, qui præclaris explendis muneribus, quibus estis destinati, prorsus requiruntur.

Sed de vestra diligentia, de recta vitæ institutione quidquam sinistrum suspicari prohibet ingenua indoles, qua præditi estis, prohibet severior disciplina Seraphici Instituti, cui a teneris annis nomen dedistis, prohibent jam præbita ingenii specimina, quibus illustri huic Collegio adscribi promeriti estis. Hæc sane talia sunt, quibus in certam spem animus erigitur, ita vos munere vestro esse functuros, ut increpationibus numquam locus esse debeat.

Quia vero experientia docuit, irritos esse conatus, qui ad morum informationem, scientiasque comparandas adhibentur, nisi probata methodo id fiat, idcirco pro ea sollicitudine, quam gero de rebus vestris, vos

vos admonendos censeo, ut eam pietatis, studiorumque viam caute ineatis, & percurratis constanter, quæ ad præstitutum finem recta conducat, ne falso fulgòre decepti inanis cujusdam pietatis, scientiæque umbram sectantes, aberretis quam maxime, nullumque laborum vestrorum fructum reportetis.

Scopulum hunc evadere facillimum erit, si Regula S. Francisci, quam professi estis, de manibus numquam excidet, atque ad eam universas actiones vestras diligenter exigere curabitis. Si quod dubium exurgit, Rectores Collegii, & si qui alii sunt, vitæ vestræ regendæ præpositos cum fiducia, & humilitate consulere debetis, ipsos ut Parentes diligere, promptamque obedientiam casto, religiosoque animo iisdem præstare.

In Studiorum autem curriculo perficiendo tutissima erunt vestigia vestra, si ea, quæ majores nostri signarunt, neque ad dexteram, neque ad sinistram flectentes, constanter premetis. Sacrarum Scripturarum meditatio, Sanctorum Patrum traditio, decreta Summorum Pontificum, canones Conciliorum, sunt illi purissimi fontes, ex qui-

bus quotquot in Ecclesia floruerunt Doctores eximiam illam hauserunt sapientiam, qua Christianam Religionem illustrarunt, ejusdemque hostes tanta cum felicitate profligarunt. Fontes istos & vos adire debetis, & ne immensa fere rerum discendarum mole obruamini, ille ordo est servandus, quo via planior reddatur, & commodior; quod facile assequemini, si eas rejiciatis quæstiones, quæ, ut Lactantii Firmiani verbis utar *nec ignoranti nocent, nec scientes juvant*. Hanc vobis studiorum methodum præscribent Collegii Moderatores, quibus Provinciam hanc lubentissime relinquo, nihil dubitans, quominus pro ea, qua præditi sunt, doctrina per amplissimos Theologiæ campos ita vos manu ducent, ut uberrimas sacræ scientiæ segetes colligere valeatis.

Quanquam in hac re non admodum vobis adlaborandum erit, si domestico sapientissimo Doctori, vestrique Collegii Patrono sanctissimo Bonaventuræ fideliter adhærebitis. Admirabili ordine, summaque perspicuitate de Christianæ Religionis dogmatibus, de divinis præceptis, & Ecclesiæ

ordi-

ordinationibus differit S. Bonaventura, atque ita docet, ut Seraphicus ille spiritus, quo ipse erat inflammatus, emicet undique, atque ad eas veritates, quas intellectus legendo conspicit, amandas voluntatem suaviter inclinet. Vidit hoc perspicacissimus Collegii Conditor æternæ memoriæ Pontifex Sixtus V., (3) qui proinde illum studiorum vestrorum Ducem esse voluit, solemniterque decrevit, cui utique decreto, ad utilitatem vestram tanta cum prudentia lato, omnino standum esse, me etiam non monente, satis intelligitis.

Dum autem auditis, totis viribus Theologiæ vobis esse incumbendum, ne putetis, humaniores litteras, naturalesque scientias a Collegio vestro prorsus eliminandas. Ab hisce studiis numquam abhorruit Ecclesia; cavet tantummodo, ne ii, qui sacris ministeriis sunt addicti, illorum illecebris ita se abripi sinant, ut ea negligant, quæ propria munera propius attingant. Hinc si hujuscemodi facultates sobrie, & recto fine excoletis, nedum nemo id vobis vitio vertet, sed potius ejus laudis participes eritis,

(3) *Vide Bullam praecitatam.*

quam sibi pepererunt amplissimam quotquot fuere Christiani Doctores, qui in profana Philosophia versatissimi ex iisdem fontibus, ex quibus tela sumebant scelesti homines ad sacra dogmata impetenda, eosdem penitus confutarunt.

Ceterum mementote, veritates omnes cujuscumque ordinis sint, nihil vobis profuturas, si non alia ratione discantur, nisi ut alatur curiositas; *nihil valere ingenium* recte ait Augustinus (4) *per omnes scientias agile, si in doctrinam pietatis erretur: Scientia enim* clamat Apostolus (5) *inflat, charitas autem ædificat*. Scientiam itaque adhibete juxta præclarum ejusdem Augustini monitum (6) *tamquam machinam quamdam, perquam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis, per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est*.

Hæc est, optimi Adolescentes, regalis illa via, per quam Majores vestri ambulantes ob summam probitatis, & doctrinæ famam, quam sibi compararunt, omnium ore commendantur. Longum contexere pos-sem

(4) *Lib.* 4. *c.* 4. (5) 1. *Cor. c.* 4. (6) *cit. lib. c. ult.*

ſem cathalogum, ſi locus hic eſſet, præclarorum Virorum, qui in hoc Collegio educati, & inſtructi, nedum Ordinem veſtrum, verum & Eccleſiam univerſam bonorum operum ſplendore illuſtrarunt. Duos tantummodo mihi licet in medium afferre, Laurentium ſcilicet a Laurea, & Laurentium Ganganelli, quorum primus poſt expletum Theologiæ curſum in veſtro Collegio, poſtea a Summis Pontificibus in dirimendis controverſiis, quæ ſuo tempore ad Sanctam Sedem deferebantur, feliciter adhibitus, Vaticana purpura meruit inſigniri, ejuſque nomen apud doctos Viros immortale erit, ſicuti immortalia erunt Volumina, quæ juxta ſaniora ſacræ ſcientiæ principia conſcripſit. Alter vero primum Collegii Alumnus, tum ſtudiis Præfectus, ob fidelem operam Summis Pontificibus in negociis graviſſimis navatam, ſacro Cardinalium Collegio cooptatus, ad ipſam Principis Apoſtolorum Sedem, toto Catholico Orbe plaudente demum evectus fuit. Tanti Pontificis memoria non apud me ſolum, qui ob collatam Cardinalitiam dignitatem, aliaque præſtita beneficia, pe-


culia-

culiaribus titulis eidem me devinctum gratus, lubensque profiteor, sed etiam apud Ecclesiam universalem ob splendidissimas virtutes, ob res præclare gestas, & ob exantlatos labores ad pacem Populo Christiano procurandam, fovendamque, quandiu durabit ætas in benedictione erit.

Absit, ut quisquam vestrum degeneri conversatione adeo vilescat, ut tantam gloriam Collegio vestro a Majoribus comparatam vel minimum obscurari patiatur.. Si fluxarum rerum amor vel invitos vos trahit aliquando, si laboribus, & difficultatibus animi frangantur, præstantissimos Viros, qui vos præcesserunt, respicite. Exemplum eorum stimulos acuet ad semitam virtutis, quam ingressi estis, caste percurrendam: Ipsi rebus gestis efficacius, quam verbis incessanter indicabunt, quid exigat conditio vestra, quid postulet Collegii decus, quid ejusdem Auctor, & Benefactor eximius Sixtus V. a vobis voluerit, atque eorum vestigia prementes spem de indole vestra, de vestro ingenio præconceptam feliciter explebitis. Valete.

Dabam ex nostro Palatio X. Kal. Septembris MDCCLXXX.

BULLA



B U L L A

FELICIS RECORDATIONIS

SIXTI QUINTI

Pontificis Maximi Ordin. Minor. Conventualium S. Francisci super Erectione Collegii Sancti Bonaventuræ.



IXTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Ineffabilis Divinæ providentiæ altitudo, cujus nutu ordinationem suscipiunt universa, jam inde ab ibso Apostolicæ prædicationis primordio, almam Urbem Romam adeo copiosis cœlestium gratiarum donis, ac prærogativis cumulavit, ut quæ antea per tot sæcula variis superstitionibus, quasi quibusdam præstigiis decepta, ac seducta tenebatur, quæque fuerat erroris Schola, tunc primum glorioso Beatissimorum Petri, & Pauli Apostolorum martyrio Deo omnipotenti consecrata, sinceraque, ac solida Christianæ Religionis doctrina illustrata, Divinæ sapientiæ, ac veritatis, sacrarumque;

que literarum publicum Gymnasium esse inciperet, & ab ipsa, quæ Orbis terrarum regebat imperium, tanquam à summa, ac primaria omnium Provinciarum Sede in omnes partes lux illa veritatis sese diffunderet, quæ pro communi humani generis salute divinitùs tradita, tunc recens per eosdem Apostolos in tetra illa errorum caligine mundo fuerat revelata. Et exinde diversi Romani Pontifices nostri Prædecessores sancto propagandæ fidei zelo accensi, eam Pontificis munere dignissimam susceperunt curam, ac solicitudinem, ut eandem Urbem, unde vera pietas, religio, & doctrina in omnes Gentes, ac Nationes perpetuo disseminanda erat, alii Religiosi Collegiis, & Universitatibus; alii publicis, & sacrorum librorum Bibliothecis ornarent, atque augerent. Sic quoque Nos, qui regulari habitu Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci ab ineunte ætate suscepto, illius Regulam, & instituta solemniter, ritèque professi sumus, cum Romæ in Domo ipsius Ordinis apud Sanctorum Duodecim Apostolorum Basilicam Verbi Dei Concionatoris, & postea universi Ordinis Minorum Procuratoris, ac demum Magistri Generalis amplissimis muneribus fungeremur, Domum prædictam non modo fabricis, atque ædificiis, sed etiam Bibliotheca auximus, atqua ornavimus, non sine flagranti desiderio aliquod ibidem Collegium, ac divinarum literarum, sacræque Theologiæ Studium instituendi. Quare nunc demum ad celsissimam Pontificatus Sedem, immensa Divina clementia, nullis nostris meritis, provecti, rei optimè perficiendæ propositum diutiùs non duximus differendum, cum præsertim hoc à Nobis expostulare videatur, non solum Apostolici muneris divinitùs fidei nostræ commissi sollicitudo, præcipuaque illa, qua Urbem hanc nostram diligimus, charitas, & studium, quo illius ornandæ maximo flagramus, sed planè flagitet Beati Seraphici Francisci Regularis Ordo,
ex-

ex quo tot Summorum Virorum, doctrina, & sanctitate præstantium Religiosæ Cohortes, & copiæ ad Ecclesiæ Dei propagationem, & defensionem prodierunt, ut quod olim fælic. Record. Innocentius Papa III. Prædecessor Noster præsignificavit, dum Beatum Franciscum ipsius Ordinis Parentem, & Auctorem, suis humeris Lateranensem Basilicam collabentem sustinere in somnis vidit, id deinde communi bono Reipublicæ Christianæ ipse rerum eventus comprobarit. Idem enim Franciscus ea sapientiæ suæ semina edidit, ea reliquit continentiæ, abstinentiæ, ac susceptorum pro Christo laborum tolerantiæ documenta, ut qui ejus Regulam sequuti sunt, quasi novæ sobolis fœtus adoptati, ac salutaribus præceptis instructi, perpetua futurorum temporum successione universæ Catholicæ Ecclesiæ ornamento extiterint. Siquidem multi ex ipsis sanctitate, atque eruditione insignes tanti Patris, & Magistri hortatu, atque exemplo excitati, multis, variisque Provinciis peragratis, Nationes in tenebris aberrantes ad disciplinæ Christianæ lucem revocarunt, ac convulsis vitiorum, atque errorum radicibus, Verbi Dei, quod velut imber de Cœlo descendens, terramque inebrians, facit eam germinare, pia prædicatione mentes hominum fœcundarunt. Et usque adeo præclari hujus Ordinis, tum sanctitatis, tum doctrinæ odor jam inde magis ab initio in omnem terram se diffundit, ita in dies magis hujus sanctæ familiæ Alumni, juvante Domino, profecerunt, ut piæ memoriæ Gregorius IX., & Gregorius X., aliique Romani Pontifices, etiam Prædecessores nostri ad res Ecclesiæ maximas gerendas ejusdem Ordinis Professores adhibuerint, ac potissimum duos illos spectatæ pietatis, & doctrinæ, qui Legati Apostolici ab eodem Gregorio X. Constantinopolim missi, Græcos ad Sanctæ Apostolicæ Sedis obedientiam, Tartaros ad Catholicam fidem reduxerunt; quin etiam constans opinio fuerit, Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ opera in Concilio Generali Lugdunensi idem egregie perfectum fuisse,
 & lon-

& longum sit recensere cæteros complures ejusdem Ordinis Regulares, qui per illorum gloriosa vestigia pleno gradu incedendo, continuata tot Sæculorum serie, ad nostram usque ætatem uberrimos ad Dei gloriam, & Animarum salutem in sancta Dei Ecclesia fructus protulerunt. Cum itaque Monasterium Sanctæ Mariæ de Arabona Sancti Benedicti, vel Cisterciensis Ord. nullius Diœcesis Provinciæ Theatin. quod bonæ memoriæ Jacobus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Sabellus nuncupatus, ex concessione, seù dispensatione Apostolica in Commendam, dum viveret, obtinebat, Commenda ipsa per obitum ejusdem Jacobi Cardinalis, qui nuper apud dictam Sedem naturæ debitum persolvit, cessante adhuc eo, quo ante Commendam ipsam vacabat modo, nec non perpetua Cappellania sub Invocatione Conceptionis, seù Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia Veliterna per obitum quondam Joannis Petri Ghislerii, aliàs de Consiliariis in dicta Ecclesia dum viveret, perpetui Cappellani, apud Sedem eamdem defuncti vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de dicta Cappellania, præter Nos, pro eo quod dudum omnia beneficia Ecclesiastica apud Sedem prædictam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni Nostræ reservavimus, ac ex tunc irritum, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione, & decreto obsistentibus supradictis, Nos qui pietatis, ac disciplinarum, & Theologiæ felices in Domino progressiones perpetuo fovère debemus, justissimis causis, & rationibus adducti, quod semper antea in votis habuimus, id re ipsa exequi volentes, eamdem Basilicam a recolendæ memoriæ Joanne Papa III. similiter Prædecessore nostro plurimis privilegiis decoratam, novo Collegio, ac Studio divinarum literarum, sacræque Theologiæ ornare, atque augère decrevimus, ad

ad hoc ut in ea Professoribus dicti Ord. Min. Conv. ad Studia sacrarum literarum hujusmodi occasio , & commoditas , Nostra , & Sedis prædictæ beneficentia subministretur , simulque , novi operarii in Agri Dominici culturam introducantur . Motu itaque proprio , non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam , sed ex certa Nostra scientia , & de Apostolicæ Potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem , & gloriam , nec non Militantis Ecclesiæ exaltationem , divinique cultus , & Ortodoxæ Fidei augumentum , ac Religiosorum prædictorum commoditatem , atque profectum in prædicta Domo unum Collegium viginti ad minus ejusdem Ordinis Minorum Conventualium Professorum , in humanioribus literis , & ingenuis Artibus , nempe in Logica , Phisica , & Methaphisica optime versatorum , ac aliàs juxta Ordinationes , & Statuta desuper facienda , & stabilienda qualificatorum , qui in hujusmodi Collegio , tanquam uberrimo divinæ Legis Seminario Sacræ Theologiæ Seraphici eximii Doctoris Sancti Bonaventuræ tantum studiis insistere , & operam suam navare , atque in quatuor Sententiarum libris ejusdem Sancti Bonaventuræ , quem inter præcipuos Ecclesiæ Sanctæ Doctores adscribendum , & tenendum per specialem nostram Constitutionem declaravimus , continue proficere studeant , sub unius præstantissimi , & exercitatissimi Lectoris , Regentis nuncupandi , doctrina , & disciplina , qui etiam legendo , interpretando , ac disputando , ut moris est in generalibus ejusdem Ordinis Minor. Conv. Studiis , eosdem Religiosos Collegiales exercere debeat , ut post peractum suorum studiorum hujusmodi cursum , tamquam feraces prædicti Agri Dominici plantæ in sacris Scripturis exponendis , interpretandis , ac publicis Verbi Dei Concionibus habendis , aliisque spiritualibus Officiis , & Ministeriis obeundis , sanæ doctrinæ germina latiùs diffundere , & speratos fructus ad communem utilitatem , & salu-

 tem

tem, Ordinisque Minorum Conventualium hujusmodi decórem producere valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, ac Lectoris, seu Regentis, & Collegialium hujusmodi sustentatione, Monasterium prædictum, in quo, ut accepimus, quatuor, vel quinque Monachi dicti Sancti Benedicti, vel Cisterciensis Ordinis, ibidem a suis Superioribus, seu pro tempore existente dicti Monasterii Commendatore introducti, ad præsens degunt, cujusque fructus, redditus, & proventus ad sexaginta Florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur, & Cappellaniam hujusmodi, quæ sine cura est, personalemque residentiam non requirit, ac cujus, & illi forsan annexorum fructus, redditus, & proventus, tercentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annnum, ut accepimus, non excedunt, sive Cappellania præmisso, sive alio, & tam illa, quam Monasterium hujusmodi quibusvis modis, & ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberas dicti Joannis Petri, vel alterius resignationem de Cappellania, ac cessionem cujusvis de Regimine, & administratione Monasterii hujusmodi in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factas, aut Cappellania per assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod Cappellæ collatio, & Monasterii hujusmodi provisio, juxta Lateranen. Statuta Concilii, aut alias Canonicas sanctiones ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Cappellania dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs generaliter reservata existat, & provisio dicti Monasterii ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter, vel generaliter pertineat, ac de ipso Monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, nec non super Cappellania, ac Regimine, & administratione

tione Monasterii hujusmodi inter aliquos lis, cujus statum, verumque, & ultimum Monasterii, & Cappellaniæ prædictorum vacationis modum, etiam si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa resultet, præsentibus haberi volumus pro expressis, pendeat iudecisa, cum annexis, membris, bonis, proprietatibus, jurisdictionibus, juribus, & pertinentiis suis universis. Ita quod liceat ex nunc ipsius Collegii Lectori, seu Regenti, & Collegialibus pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios, nomine ejusdem Collegii propria auctoritate, absque Iudicis mandato vel decreto, ac spolii, & attentatorum vitio libere apprehendere, & perpetuo retinere, eaque regere, administrare, ac fructus, redditus, proventus, Jura, obventiones, & emolumenta Monasterii, & Cappellaniæ, ac annexorum hujusmodi, in suos, dictique Collegii communes usus, utilitates & necessitates convertere, diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ac in ipso Monasterio dignitatem Abbatialem, nomenque, titulum, & denominationem Abbatis, nec non Conventualitatem, si quæ sit, ac Sancti Benedicti, seù Cistercienseṁ Ordinem prædictum, illiusque statum, essentiam, & dependentiam Regulares, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo supprimimus, & extinguimus, ipsosque Monachos ibidem degentes ad alia Monasteria, seu regularia loca sui Ordinis, ad id eis à suis Superioribus assignanda, vel aliàs, ubi benevolos invenerint receptores, ita ut ex nunc deinceps in Monasterio unito prædicto nullatenus permanere, nec ex illius fructibus, redditibus, proventibus, vel rebus alimenta, vel ullum omnino subsidium, aut jus, vel actionem ibidem pretendere possint, sed statim habita præsentium notitia, ad alia Monasteria, & loca hujusmodi, nulla



nulla alia à Nobis expectata jussione, mentisque nostræ declaratione, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac etiam carceris, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis ipso facto per contravenientes incurrendis transire debeant, ac Lector, seu Regens, & Collegiales prædicti, ad alios Monachos in dicto unito Monasterio recipiendum, & admittendum, illisque alimenta ministrandum, vel aliud quidpiam præstandum, minime teneantur, nec obligati sint, minusque ad id cogi, vel compelli valeant, transferimus; nec non fundationem, & institutionem Monasterii hujusmodi, ac Missarum, Anniversariorum, & aliorum divinorum officiorum obligationes, commissiones, & defunctorum suffragia, si quæ sint, cæteraque onera eidem unito Monasterio, quomodolibet incumbentia in dicti Collegii ministeria convertimus, & commutamus. Insuper eidem Collegio, illiusque Lectori, seu Regenti, Collegialibus, Scholaribus, Officialibus, Ministris, & personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis, cæterisque gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia prædicti Ordinis Minorum Conventualium, & quorumvis aliorum Ordinum Collegia, ad quarumcumque bonarum Literarum, & Disciplinarum cultum, & propagationem ubique instituta, illorumque Rectores, Regentes, Collegiales, Scholares, Officiales, Ministri, & personæ de jure, vel consuetudine, seu ex privilegio, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, absque ulla prorsus differentia, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac si illa eis specialiter, nominatim, & expresse concessa, & communicata fuissent, auctoritate, & tenore

prædi-

prædictis pariter perpetuo concedimus, & indulgemus. Ut autem dicti Collegii prospero, ac fœlici regimini, & conservationi opportune consulatur, dilectum Filium nostrum Alexandrum Sancti Eustachii Diaconum Cardinalem de Montealto nuncupatum, & eo vita functo, alium ex Familia nostra, si qui erit, sin minus, antiquiorem ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum, & utroque cessante, Protectorem prædicti Ordinis Minorum Conventualium pro tempore existentem S. R. E. Cardinalem ejusdem Collegii, illiusque Lectoris, seu Regentis, Collegialium, Scholarium, Officialium, Ministrorum, & personarum, rerumque, & bonorum Protectorem, & defensorem, cujus consilio, & ope omnia supradicta, & quæcumque alia in eis, & circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur, & ordinentur, statuimus, & deputamus. Præterea Alexandro Cardinali, & pro tempore existenti Protectori prædicto, Lectorem, & Regentem prædictum, nec non una cum ipso Lectore, seu Regente Oeconomos, Officiales, Advocatos, Procuratores, cæterosque Ministros dicti Collegii deputandi, & amovendi, & loco amovendorum alios sufficiendi, nec non quæcumque statuta, ordinationes, & Decreta, tam circa ejusdem Collegii, illiusque rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, directionem, regimen, & administrationem, quam Collegialium prædictorum receptionem, & admissionem, eorumque qualitates, victum, amictum, studiique cursum, ac tempus, per quod in dicto Collegio ali, & consoveri debeant, ac alias in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ipsiusque Ordinis Minorum Conventualium regularibus institutis non contraria faciendi, & edendi, ac illi quoties pro eorum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, immutandi, corri-

corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, quæ poſtquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint, eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmata, & approbata ſint, ac eſſe cenſeantur, & ab omnibus, ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis in contravenientes ſtatuendis obſervari debeant, plenam, liberamque facultatem concedimus, & elargimur. Decernentes erectionem, unionem, annexionem, incorporationem, ſuppreſſionem, extinctionem, translationem, converſionem, commutationem, indultum, ſtatutum, deputationem, conceſſionem, facultatem, aliaque præmiſſa, ac præſentes literas, nullo unquam tempore, ſive pro eo, quod cauſæ, propter quas emanaverint, & facta ſint, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam prædictæ Sedis delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac Ordinarii, Superiores, & Monachi prædicti, vel quicumque alii intereſſe habentes, ad id vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſive alias ex quibusvis cauſis, quantumvis legitimis, & urgentibus, de ſubreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controverſiam revocari, ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illa, quomodocumque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo uti poſſe, neque ſub quibuſvis illarum, ac unionum, annexionum, incorporationum, ſeu aliarum ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis diſpoſitionibus, etiam à Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, etiam in craſtinum aſſumptionis ipſorum Succeſſorum noſtrorum, & cujuslibet eorum ad Summi Apoſtolatus Apicem, ac alias

ac alias quomodolibet, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis pro tempore emanatis, etiam si de præsentibus literis, eorumque toto tenòre, ac data, specialis, specifica, & expressa mentio fiat, minime comprehendi, sed illis, ac quibusuis aliis contrariis non obstantibus, in suis robore, & efficacia persistere, & quoties revocationes, suspensiones, limitationes, aliaque contraria prædicta emanabunt, toties in pristinum statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub data per Protectorem, Lectorem, seu Regentem, Collegiales, & personas hujusmodi, quandocumque eligenda de novo concessa esse, suosque integros, & plenarios effectus sortiri. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Camerinensi, & Montisalti Episcopis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Protectoris, Lectoris, seu Regentis, & Collegialium prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiter observari, ac Protectorem, Lectorem, seu Regentem, Collegiales, & alios prædictos, eorum-

D que

que singulos illis pacifice frui, & gaudère, non permittentes ipsos, vel eorum quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarando, easque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus præmissis, quatenus opus sit, nostris de non tollendo jure quæsito, ac gratiis, ad instar non concedendis, & unionibus committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, veroque valòre etiam Beneficii, cui aliud unitur, exprimendo, nec non Lateranen. novissime celebrati, & aliorum etiam generalium Conciliorum uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, & & de Monasterii hujusmodi extra consistorium disponi, ac beneficia unius diœcesis, cum beneficiis alterius diœcef. uniri prohibentibus, nec non similis memoriæ Bonifacii pariter Prædecessoris nostri, etiam quæ cavet, ne quis extra suam Civitatem, vel diœcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœc. ad judicium evocetur, seu ne Judices a dicta Sede deputati extra Civitatem, vel Diœc. in quibus deputati fuerint, contra quoscumq. procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Monasterii, & Ordinis, ac Ecclesiæ prædictorum, juramento, confirmatione

tione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, Superioribus, Magistris, Conventibus, Fratribus, Religiosis, & aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus etiam consistorialiter in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenòris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem literas, & processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad dictam Cappellaniam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem Bene-

neficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem literis mentio specialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, dictum Monasterium in spiritualibus non lædatur, & in temporalibus detrimenta non sustineat, cura animarum, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, ipsaque Cappellania debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nos enim quoad Cappellaniam, prout est, si attentatum forsan est hactenus, vel in posterum, quo vero ad alia omnia suprascripta, ex nunc, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, suppressionis, extinctionis, translationis, conversionis, commutationis, concessionum, indulti, deputationis, elargitionis, decretorum, mandati, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Kalen. Januarii, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

E. Prodat.

Tho. Thomasius Gualterutius.

BUL-

B U L L A

SSMI D. N. PP.

S I X T I Q U I N T I

Qua Bonis Collegio S. Bonaventuræ jam aſſignatis, alia ſuperadduntur pro manutentione viginti ſaltem Collegialium.

S I X T U S E P I S C O P U S

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.



Poſtolici muneris ſollicitudo Divina diſpoſitione Nobis delegata requirit, ut ad Collegiorum quorumlibet, præſertim a Nobis ad ſacrarum litterarum incrementum, & chriſtianæ Religionis inſtaurationem, animarumque ſalutem inſtitutorum, ſtatum noſtræ conſiderationis protendentes intuitum, ea, quæ illorum commoditatibus, & neceſſitatibus opportuna fore intelligimus, ſedulo adhibere curemus. Cum itaque Monaſterium S. Coni Flumariæ Muri Ordinis S. Baſilii, ſeu S. Benedicti Reginen. Diæceſis, quod nuper quidam Dominicus Bellonius tunc Clericus, & Cubicularius domeſticus, & Familiaris in Commendam ad ejus vitam ex conceſſione Apoſtolica obtinebat, Commendam hujuſmodi ex eo, quod ipſe Dominicus ſuis culpis, & demeritis ita exigentibus, prædicto Monaſterio, ac omnibus, & ſingulis aliis Beneficiis Eccleſiaſticis per eum tunc obtentis, per noſtram, ſeu de mandato noſtro Judicis competentis, ſententiam definitivam, ſervatis ſervandis, deſuper latam,

tam,

tam , quæ nulla prorogatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam , privatus extitit , per privationem hujuſmodi , ceſſante adhuc eo , quo ante Commendam ipſam vacabat , aut alias certo modo vacare noſcatur ad præſens , Nos &c. . Collegio S. Bonaventuræ in Domo SS. XII. Apoſtolorum de Urbe Ordinis Fratrum Minor. Conv. nuncupat. , per Nos noviſſime erecto , & inſtituto , pro ſolidiori illius ſtabilimento , & perpetua conſervatione , onerumque eidem Collegio incumbentium debita ſupportatione , de alicujus ſubventionis auxilio mature providère volentes , ac Rectorem , & ſingulas Perſonas ipſius Collegii a quibuſcumque Excomunicationis &c. , abſolventes &c. , nec non erectionis , & inſtitutionis Collegii hujuſmodi , ac quarumcumque aliarum unionum , annexionum , & incorporationum , applicationum , appropriationum , & conceſſionum illi quomodolibet hactenus factarum , & inde ſecutorum , aliorumque neceſſariorum quorumcumque veriores , & totos tenóres , ac datam , nec non fructuum , reddituum , & proventuum ejuſmodi Collegii , ac aliorum Beneficiorum ſæcularium , & regularium , nec non bonorum , rerum , & jurium illi unitorum , conceſſorum , & applicatorum , veros annuos valòres , ac penſionum annuarum , etiam perpetuarum ipſi Collegio aſſignatarum , ſummas , & quantitates , verumque , & ultimum dicti Monaſterii vacationis modum , etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio etiam in corpore Juris clauſa reſultet , præſentibus pro expreſſis habentes , motu proprio , non ad Rectoris , & Perſonarum Collegii hujuſmodi , vel alicujus eorum , ſeu alterius pro ipſis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam , ſed ex mera liberalitate , & ex certa ſcientia noſtra , ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Monaſterium præfatum , quod Conventu caret , ac cujus , & illi forſan annexorum fructus , redditus , ac proventus tercentorum Ducatorum auri de Camera ſecundum commu-

communem æstimationem valórem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt; quovis modo, & ex cujuscumque persona, seu per liberam cessionem cujusvis de illius regimine, & administratione in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Testibus sponte factam, aut alias quomodocumque, & qualitercumque, ac ex quocumque capite, vel causa vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranen. Statuta Concilii, aut alias canonicas Sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, & illius provisio ad Sedem eamdem specialiter, vel generaliter pertineat, & de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, ac super regimine, & administratione prædictis inter aliquos lis, cujus statum, etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium eidem Monasterio de Abbate provisum, aut illud alteri commendatum canonice non existat, cum annexis hujusmodi, ac omnibus membris, grangiis, juribus, & pertinentiis suis eidem Collegio pro illius Dotis augumento, ita quod liceat dilecto Filio Alexandro S. Eustachii Diacono Card. de Monte-Alto nuncupato, secundum carnem Pronepoti nostro, qui etiam dicti Collegii Protector per Nos deputatus existit, ejusque in officio Protectoris hujusmodi Successoribus, ac nunc, & pro tempore existentibus Æconomis, seu Administratoribus ejusdem Collegii, & cuilibet ipsorum in perpetuum per se, vel alium, seu alios eorum, & dicti Collegii nominibus propria auctoritate corporalem, realem, & actualem possessionem Monasterii, ac annexorum membrorum, grangiarum, jurium, & pertinentiarum prædictarum libere apprehendere, & perpetuo retinere, nec non eidem Monasterio, illiusque Ecclesiæ, vel Cappellæ, seu Ecclesiis, vel Cappellis per quemcumque, seu quoscumque Clericos, vel Presbyteros Sæculares, aut dicti, vel quorumvis aliorum Ordi-

Ordinum Regulares, idoneos, ac pro tempore existentium Protectoris, seu Æconomorum, & Administratorum prædictorum liberum nutum ponendos, & amovendos in Divinis deserviri, & etiam animarum curam, si quæ illi immineat, exercèri faciat, ipsumque Monasterium cum annexis, ac membris, grangiis, juribus, & pertinentiis præfatis in spiritualibus, & temporalibus regere, gubernare, & administrare, illorumque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque exigere, percipere, levare, recipere, colligere, recuperare, arrendare, locare, dislocare, ac in Collegii, & etiam Monasterii hujusmodi usus, & utilitatem, ac onerum illis incumbentium supportationem, & manutentionem convertere, & erogare, Diæcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, Apostolica auctoritate, tenòre præsentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ac unionem, annexionem, & incorporationem præfatas, nec non præsentes Litteras etiam ex eo, quod Generales, vel alii Abbates, vel Definitores, & Visitatores, cæterique Prælati Superiores, & Monachi dicti Ordinis S. Basilii, seu S. Benedicti, aut quicumque alii interesse habentes, vel putantes, seu prætendentes ad hoc vocati, & causæ, propter quas emanaverint coram Loci Ordinario, etiam tamquam a Sede præfata delegato, aut ejusdem Sedis Nuntio, vel quocumque alio Judice, seu aliàs quomodolibet examinatæ, & verificatæ non fuerint, vel ex quibusvis aliis causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam vocari, ad viam, & terminos juris reduci, seu etiam per Nos, aut Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel dictam Sedem, aut etiam ejus de Latere Legatos, aut alios quoscumque quavis tam Apostolica, quam ordinaria,

naria, vel extraordinaria auctoritate, aut alias quomodolibet revocari, retractari, infringi, suspendi, restringi, limitari, vel ejus in aliquo derogari nullatenus umquam posse, nisi sub quibusvis illarum, aut similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ut præfertur, aut aliàs quomodolibet pro tempore factis, umquam compræhendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & etiam de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Rectorem, aut Æconomos, vel Administratores prædictos, aut alios pro eis agentes prædictos pro tempore eligendos concessas, ac perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, atque a supradictis, omnibusque aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter perpetuo observari debère, neque Collegium, ejusque Protectorem, Æconomos, & Administratores hujusmodi, ac pro eis agentes super præmissis, vel illorum occasione per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, sicque in præmissis ab omnibus censeri, & ita, nec aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, etiam cum potestate Legati de Latere, ipsumque Loci Ordinarium, & Metropolitanum, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretrandi facultate, & auctoritate in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere, nec non si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Sicque etiam incommutabilis Voluntatis nostræ fuisse, & esse, in-

verbo Romani Pontificis Attestamur. Quocirca Ven: Fratribus nostris Amerin:, & Reghinen: Episcopis, ac dilecto Filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra prædictas Litteras, & in his contenta quæcumque ubi, quando opus fuerit, ac quoties pro parte Protectoris, Æconomorum, & Administratorum, ac Personarum Collegii hujusmodi, seu alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes Litteras, ac in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque, ac Rectorem, Æconomos, Administratores, ac Personas Collegii hujusmodi illis pacifice frui, & gaudère, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pænas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pænas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis; non obstantibus præmissis, & felic: record: Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, etiam quoad cavetur expresse, ne quis extra suam Civitatem, vel Diæcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ Diæcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices a Sede prædicta deputati extra Civitatem, vel Diæcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, & in Concilio generali edita de duabus Dietis, dummodo ultra

ultra tres Dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, ac quatenus opus sit, nostra de unionibus committendis ad partes vocatis interesse habentibus, & de exprimendo vero annuo valòre etiam Beneficii, cui aliud unitur, ac Lateranen: novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, & quorumcumque aliorum etiam generalium Conciliorum, etiam disponentium, quod Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica unius Diæcessis Beneficio, seu loco alterius Diæcesis uniri non possint, neque debeant, aliisque Apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non tam Monasterii, quam Domus, & Collegii, singulorumque Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam illis, illorumque Abbatibus, Conventibus, Superioribus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis in genere, & in specie per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet etiam pluries, & iteratis vicibus, ac etiam specialiter, & expresse contra similes, vel dissimiles perpetuas, & temporales uniones, annexiones, & incorporationes concessis, adprobatis, & innovatis, ac etiam in posterum concedendis, adprobandis, & innovandis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque

totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenòris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum fore, & esse, ac censeri etiam volumus, decernimus, & declaramus, contrariis quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excomunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem, incorporationem nostras prædictas dictum Monasterium in spiritualibus non lædatur, & in temporalibus detrimenta non sustineat, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis attestationis, mandati, voluntatis, decreti, & etiam declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c. 1588. Nono Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno IV.



CON-

CONSTITUTIONES
COLLEGII

Ad Laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & honorem Beatissimæ Virginis Deiparæ, ac Sancti Patris Francisci, & Beati Bonaventuræ Doctoris Ecclesiæ Seraphici, sequuntur Constitutiones Collegii ejusdem Sancti Bonaventuræ in Basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe à Sanctissimo D. N. D. SIXTO *Papa Quinto erecti, ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Alexandro Cardinali Montealto S. R. E. Vice-Cancellario ejusdem Collegii Protectore editæ,*



Uoniam Sanctissimus D. N. SIXTUS Quintus Pontifex Optimus Maximus ob eximiam suam charitatem, qua Seraphicam Minor. Conv. Religionem prosequitur, assiduè in ea cogitatione, curàque versatur, ut illam bonarum artium studiis, ac præsertim divinarum literarum disciplina ornatiorem in dies, perpetuòque florentem reddat, ideoque Collegium Sancti Bonaventuræ in Conventu Sanctorum Apostolorum de Urbe, ubi ejusdem Ordinis Professi sacræ Theologiæ operam navent, nuper instituit: Nobis præterea prædicti Collegii patrocinium, tutelamque demandavit, ut in literis Apostolicis, quarum exemplum inferius subiiciemus, plenius continetur. Propterea, ut idem Collegium perpetuo consequentibns temporibus felici regimine gubernetur, ejusque Alumni eos in vinea Domini fructus afferant, qui maxime expectantur, & quorum gratia prima hujus operis fundamenta jacta fuerunt, has leges, & constitutiones ex Sanctitatis suæ aucto-

auctoritate, ac religiosissimi animi sensu condendas decrevimus.

Erit in primis eorum, qui in Collegio manebunt, non minor numerus, quam viginti, qui & professi omnes erunt, & Baccalaurei, habeantque omnes qualitates, & requisita juxta formam literarum erectionis Collegii à Sanctissimo D. N. emanatarum. Erit etiam eorum una cum aliis Fratribus Domus, seu Conventus Sanctorum Apostolorum, eadem, communisque mensa, ac venerabili Guardiano, qui pro tempore fuerit, obedientiam præstent, tam quo ad vitæ disciplinam, quam Ecclesiæ cultum, cujus quidem rei ea ratio habenda est, quæ alibi, ubi Fratrum S. Francisci studia vigent, haberi solet. Propterea Procuratori Conventus, vel alii per Guardianum deputato, ex Collegii proventibus constituit Protector pro Regentis, & Collegialium supradictorum victu scuta trigintaquinque monetæ pro quolibet singulo anno, quarto quoque mense anticipata solutione numeranda. Nec liceat Procuratori, vel alii deputato erogatam pecuniam ad alia, quam ad ea, quæ victui necessaria sunt, comparanda, ullo modo convertere. Quod si in alios usus, quam suprascriptum sit, pecunias erogaverit, à Ministro Generali ad omnem requisitionem, & interpellationem Protectoris, officio privetur, ac inhabilis ad alia obtinenda per triennium sit, quod ut servetur, Collegii Regens, vel alius, quem ipse Protector constituet, diligenter curabit. Quod si Collegii proventus augeantur, prædictorum etiam Collegialium numerus augebitur. Habeant singuli singula Cubicula, lecto, arca, tabula, & alia necessaria suppellectili instructa.

Qui eligendi sunt, ætatis erunt non minoris viginti annorum, ex legitimo Matrimonio procreati, & cum qualitatibus juxta formam literarum S. D. N. ita ut nullius dispensationis, aut legitimationis prætextus quoad

quoad eorum admiſſionem natalium ſuppleat defectum; nec alius ullus eligatur, niſi qui Logicæ, Phiſicæ, & Methaphiſicæ curſum peregerit, & ſacræ Theologiæ, ut infra dicetur, ſaltem per annum operam dederit, ejuſque rei in diſputationibus, aliiſque actionibus publicis ſpecimen aliquod ediderit: tantum enim provectiores Scholares in hoc Collegium Sanctitas ſua admitti voluit, quo demum Eccleſiæ Dei fiant magis utiles, & ad honores magis idonei.

Electionis autem ea ratio obſervanda eſt, ut Generalis Miniſter Ordinis (quippe quem Fratrum ſuorum conditionem magis exploratam habere exiſtimamus) tribus menſibus ante Capitulum Generale, quadraginta ſaltem Baccalaureorum nomina ex diverſis Provinciis, qui tales ſint, quales jam diximus, in ſchedula deſcripta ad Protectorem mittat, & ſi eligendorum numerus major viginti fuerit, quo plures erunt, eo major quoque numerus in eadem ſchedula annotabitur. Protector autem adhibito Generali Ordinis Procuratore, vel alio ſibi bene viſo, ex eo numero illos eliget, qui in Collegium cooptandi erunt, quorum etiam nomina ad Generale Capitulum tranſmittat, ut in Tabula Religionis ordinaria poſſint adſcribi. Quod ſi forte contigerit ex electis locum aliquem deficere, Protector ex illis eliget, qui in ſchedula ſibi à Generali porrecta ſuperfuerint, atque in deficientis locum illum ſubſtituet. Quod ſi electio ſecus facta ſit, irrita ſit, & nulla, nec ullum juris ſortiatur effectum.

Manebunt autem in Collegio triennio tantum, quod ſane tempus ſatis eſſe videtur ad eam conſequendam eruditionem, qua Sanctitas Sua eos erudiri, atque inſtitui cupit, niſi ex aliqua rationabili cauſa aliud Protectori videatur. Tum demum aliis, qui ſibi ſuccedent, loca dimittant, ita enim fiet, ut in hac Religione ad communem omnium utilitatem eruditorum hominum numerus facile augeatur. Quam-

Quamvis autem (ut experientia docet) nihil sit, quod felicem Studiorum cursum magis retardet, quam discentes hac illac, præsertim Quadragesimæ tempore, pervagari, quo nullum est aptius ad litterarum studia, & propterea melius cum illis ageretur, si se a prædicandi munere continerent, considerata maxime brevitate temporis triennii hujusmodi studiis præscripta; quia tamen prædicatio Evangelii necessaria est, & quod solitarum lectionum studiis aufertur, prædicationum exercitio accrescit, & ut scholares ad Dei servitium in prædicandi munere se exerceant, concedimus, ut qui idonei erunt, si velint, sive in Urbe, sive extra Urbem, munus prædicationis suscipere possint. Qui vero extra Urbem concionatum ibunt, non alias discedent, nisi Protector, & Regens discedendi dederint potestatem, certo tamen tempore pro locorum distantia limitandam, ne liberius vagandi occasionem habeant. Quod si debito tempore non redierint, ut decet, corrigantur.

Ii vero, qui potius in Collegio studiis, quam prædicationibus inservierint, ea de causa quolibet anno scuta viginti duabus solutionibus dentur, pro vestitu, pro libris comparandis, ac aliis necessitatibus sublevandis.

Quia vero cupimus, quod Regens, quoad fieri potest in suo docendi munere progrediatur, ipso præsertim Quadragesimæ tempore, quæ anni pars ad studia cæteris temporibus (ut diximus) videtur accomodatior, idcirco Regentis necessitatibus providentes eleemosinam illi constituimus scutorum sexaginta singulis annis. Si vero alicubi prædicationis Officium pro aliqua Religionis utilitate, vel necessitate exercuerit, scuta triginta.

Et quia pro divinarum literarum disciplina sacrum hoc Collegium institutum est, supradictus Regens, S. P. Bonaventuram super quatuor libros Magistri sententiarum, quasi Ducem suis Auditoribus semper interpretabitur. Unus enim ipse Sanctus qui nuper inter præcipuos Eccle-

Ecclesiæ Sanctæ Doctores a S. D. N. SIXTO QUINTO relatus est, ob singularem doctrinam, ac sententiarum dignitatem, quibus pleni sunt ejus libri, abunde sufficiet, ut ex ejus lectione librorum in summum quisque Theologum possit evadere. Quoniam vero solo triennio vix fortasse poterit Regens quatuor ipsos sententiarum libros absolvere, volumus, ut ipsi auditores in eadem Sancti Bonaventuræ doctrina juxta materias sibi à Regente constitutas in disputationibus quotidianis sese mutuo exerceant, ut hac ratione libros absolvant.

Teneantur quoque singuli de Collegio singulis mensibus ex eadem doctrina assertiones publice in Collegio disputandas proponere, prout unicuique eorum a Regente fuerit constitutum, neque propterea solitas aliorum studiorum exercitationes ullo modo prætermittant, & ut commodius studiis vacare possint, nec Matutinis interesse tempore lectionum, neque mortuos associare, nisi defuncti nobilitas, aut alia necessitas coegerit, teneantur.

Magister Studentium de more cœterorum Ordinis Studiorum non præficiatur, cum provectorum sit hoc dumtaxat Collegium. Baccalaureus autem Conventus instituatur is qui à Generali, & Patribus in Capitulo judicatus fuerit habilis, ætate, moribus, & doctrina.

Is teneatur qualibet die à Regente assignatam aliquam interpretari lectionem ejusdem Sancti Bonaventuræ, sive in opusculis, sive in sacra scriptura, ad quam cæteri Baccalaurei accedere teneantur sub pœna ejectionis à Collegio, perseverante contumacia, nisi fuerint legitimo detenti impedimento.

Idem etiam consuetis diebus Conclusiones disputandas proponere teneatur, ac duo saltem ex Collegio arguant, & opponant; ad majorem materierum examinationem ipse argumentis respondeat, & Regens, cum opus fuerit, suppleat.

Volumus autem, quod ſcholares prædicti Collegii, ut ampliorem ſpem de ſe præbeant, jam antea in aliquo Religionis Seraphicæ Studio per annos quinque Logices, Phiſices, & Metaphiſices ſtudiis, & etiam primordiis Theologiæ operam dederint, atque de tempore ſtudiorum illorum, quinimmo & de progreſſibus in eis factis plenam fidem faciant, antequam in dictum Collegium Sancti Bonaventuræ recipi poſſint; ibique exercitia jam propoſita frequentent per triennium in eodem remanſuri, viam Beati Bonaventuræ vigili cura terentes quouſque Magiſterii lauream ſuſcipiant. In qua aſſequenda priorem locum ante alios omnes Religionis Baccalaureos, uti par eſt, non ſolum obtineant, ſed etiam peculiari privilegio gaudeant, ut ſcilicet prævio tantum altquo diſputationum publicarum ſolemni actu, nulli alii examini ſubjaceant, & a Generali dicti Ordinis, ſeu Præſidente in generali Capitulo ſolitis tantum muniis per eos adimpletis, Magiſterii gradu exornentur, eumque ſolemniter recipiant, de noſtra tantum licentia, prout ejus ſanctitas nobis, & ſucceſſoribus noſtris Protectoribus indulſit, non obſtante aliqua Religionis Conſtitutione, aut Sanctæ Apoſtolicæ Sedis prohibitione, niſi facta mentione de hoc indulto, quæ hoc aliàs fieri prohiberet. Tales enim futuros confidimus, qui ex hoc prodibunt Collegio, ut merito gradus iſte illis debeatur, quo ornati, majore etiam auctoritate tam in exponendis divinis Scripturis, quam in officio prædicandi Verbi Dei, aliiſque Religioſis miniſteriis ſecure verſari & veluti nova, & feracia germina uberrimos fructus ad communem Eccleſiæ utilitatem, ac Dei gloriam producere poſſint.

Teneantur etiam una cum Regente cujuslibet menſis initio ſecunda feria, (niſi quid impediat) aliàs ſubſequenti, pro defunctis Familiæ noſtræ de Perettis perpetuo futuris temporibus Miſſam (ut ajunt) Conventualem celebrare, & in aliis, quas privatim celebrabunt, pro iiſdem defunctis memoriam ſemper peragere. DE

DE REGENTE

DEligetur à nobis, aut Protectoribus succedentibus Regens Collegii, qui ætate, moribus, doctrina, & auctoritate sit inter præcipuos Religionis Patres, quique duobus saltem trienniis Theologiam in celeberrimo aliquo Religionis Gymnasio, ut Patavii, Bononiæ, Neapoli publice sit professus. Ipse autem, ut supra diximus, Sanctum Doctorem Bonaventuram perpetuo interpretetur, & in ejus doctrina suos Auditores exerceat, sicut in cæteris ejusdem Religionis Gymnasiis observatur. Guardiano præterea Sanctorum Apostolorum, ut cæteri Auditores sui, æque obediat, non tamen consuetis immunitatibus ullo modo derogamus.

DE OECONOMO

PRotector, adhibito etiam Collegii Regente, eliget Oeconomum arbitrio suo, seu Regularem, seu Clericum sæcularem, seu etiam integritatis, ac fidei spectatæ Laicum, cujus circa Collegii proventus præcipua sit diligentia, cum iis tamen facultatibus, quas ipsi Protector impartiri voluerit.

Oeconomus calculandi rationem optime sciat, datorumque & acceptorum in libro, quem signatum, & cartulatum dabit illi Protector, rationes Collegii diligenter conficiat, ac quolibet saltem mense, eidem Protectori, seu cui Protector mandaverit, administrationis suæ rationem, præsente etiam Regente, fideliter referat.

DE PROTECTORE

PRotector Collegii nobis vita functis, juxta mentem, & Constitutionem S. D. N. ille succedet, qui tunc ex familia nostra de Perettis Cardinalis erit; idque ita

 sem-

ſemper fiat, quandiu Deus annuet dignitatem hanc in Familia noſtra permanere, & ſi plures eſſent, vetuſtior: ſi ex his nemo ſupererit, is qui ex Agro Piceno vetuſtior Cardinalis erit, ſi vero ex Agro Piceno Cardinalis nullus exiſtat, idem qui Religionis Protector erit, in hujus Collegii protectione ſuccedat.

Protectoris quoque poteſtas erit eligendi una cum Regente, præter Oeconomum, ut ſuperius dictum eſt, & Officiales, Advocatos, Procuratores, cæteroſque ipſius Collegii Miniſtros, hos etiam & amovère, & novos ſubrogare, conſtituere, & decernere, quidquid ad Collegii adminiſtrationem tam circa ſpiritualia, quam temporalia bona pertinet, quidquid etiam ad victum, & veſtitum Fratrum in Collegio permanentium duxerit expendendum fore. Ubi vero aliquid ſpeciale conſtitutum, expreſſumque non fuerit, antiquæ cæterorum Religionis Gymnaſiorum Conſtitutiones obſerventur.

Proventus Collegij, ſi qui neceſſarijs omnibus expenſis ſupererunt, aut ædificijs conficiendis, aut emendis libris, vel neceſſaria aliqua ſuppellectili comparanda Protectoris arbitrio expedantur.

Quoniam vero quæ Collegio unita eſt Abbatia Juriſditionem ſpiritualem habet, Protector, adſcito Regente, arbitratu ſuo, Vicarium eligat, qui juxta facultates ſibi à Protectore conceſſas, eam juriſditionem exerceat. Idem quoque Protector Cappellanos, qui rebus divinis in hujus Abbatiæ Eccleſia ſerviant, ut eligendi, ita & deponendi habeat poteſtatem.

Abbatiæ Beneficia, ſi quæ vacare contigerit, ad liberam Protectoris collationem ſpectent, ex auctoritate a Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, decretis tamen, ac Conſtitutionibus Sacri Tridentini Concilii ſervatis.

CON-

CONFIRMATIO CONSTITUTIOMUM

SIXTVS PAPA QVINTVS

V R B I S



OTU proprio &c. Cum nuper ad Dei omnipotentis gloriam, fanctæ Ecclefiæ exaltationem, commodumque & profectum Profefforum Ordinis Min. Conventualium, erga quem ab ineunte ætate præcipuum gerimus devotionis affectum, in alma Urbe noftra juxta Domum Bafilicæ Duodecim Apoftolorum de Urbe ejufdem Ordinis, vel in ipfamet Domo unum Collegium Sancti Bonaventuræ nuncupatum, per alias noftras literas erexerimus, & inftituerimus, ut in eo manèrent viginti ad minus ejufdem Ordinis Profefforum, & in humanioribus litteris, & ingenuis artibus, nempe Logicæ, Phificæ, & Methaphificæ optime verfatorum, qui in hujufmodi Collegio Sacræ Theologiæ ejufdem Sancti Bonaventuræ tantum ftudiis infifterent, & operam fuam navarent, atque in quatuor fententiarum libris ejufdem Sancti Bonaventuræ continue proficerent, ejufque Collegii Protectorem, quamdiu viveret, dilectum filium Alexandrum Sancti Laurentii in Damafo Diaconum Cardinalem Montaltum S. R. E. ViceCancellarium, fecundum carnem ex Sorore pronepotem noftrum conftituerimus, & deputaverimus, pro ut in dictis litteris plenius continetur, nunc demum intelleximus, divina favente clementia, jam in dictum Collegium Profeffores hujufmodi receptos, & admiffos fuiffe. Quare, ut pium hujufmodi opus, ac Reipublicæ Chriftianæ adeo falutare meliores in dies progreffus ad Dei gloriam, atque animarum

marum salutem sortiatur, idem Alexander Cardinalis, & Protector de mandato nostro vivæ vocis oraculo ei facto, Constitutiones quasdam super regimine gubernio, & administratione dicti Collegii, illiusque personarum, bonorum, & rerum omnium edidit, & promulgavit. Quæ cum a nobis perlectæ, & laudabiles visæ fuerint, ut pro ejusdem Collegii bono regimine, & salubri directione perpetuis futuris temporibus observentur, Motu &c. simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Constitutiones præfatas, quarum, nec non erectionis, & institutionis prædictarum tenóres præsentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica, tenóre præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac per eos, ad quos spectat, firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus, omnesque, & quoscumque juris, & facti, ac solemnitatum defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Decernentes irritum, & inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam Generalibus &c. dictique Ordinis Juramento &c. roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. Quibus omnibus &c. illorum tenóres &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fiat motu proprio. F.

Et cum absolutione a censuris ad effectum &c. Et de perpetuis confirmatione, approbatione, communitione, robore, adiectione, præcepto, mandato, suppletione, decreto, quæ hic pro sufficienter repetitis habeantur, in litteris latissime exten. & quod præmissorum omnium, & singulorum, & qualitat. Denominat. aliorumque necessa-

ceſſariorum maior, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in litteris, etiam per Breve noſtrum, aut alias expediend., ſeu ſi videbitur, ſola præſentis noſtri Motus proprii ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat, regula contraria non obſtante. Datum Romæ apud S. Petrum Idib. Aprilis Anno quinto.

Lib. quinto Secretorum fol. 68,

Reg. B. Remondus.



SSMI

SSMI D. N.

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ OCTAVI

Omnibus, & singulis Collegialibus Baccalaureis Collegii Seraphici Divi Bonaventuræ à fel. rec. SIXTO V. *erecti pro eorum laurea, & indemnitate, & claritate, & amplificatione Doctoratus declaratio, & speciale Privilegium impetratum ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Alexandro Peretto S. R. E. Cardinali Montalto, & Vice Cancellario, ejusdem Collegii Protectore.*

CLEMENS PAPA VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.




Tudiosis omnibus, & præsertim Religiosis, ut debita laboribus eorum præmia consequantur, favère solemus, ac eorum indemnitati libenter consulimus, pro ut in Domino salubriter conspicimus expedire. Sane cum sicut accepimus, Baccalaurei Collegiales Sancti Bonaventuræ à fæl. rec. Sixto Papa V. Prædecessore nostro in Urbe apud Conventum Sanctorum duodecim Apostolorum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Instituti primum usque ad numerum quadraginta ex doctioribus Baccalaureis totius Ordinis, & deinde ex dictis quadraginta viginti præstantiores per Examinatores ad hoc deputatos, prævio rigoroso examine, eligi soleant, iique integro triennio, antequam Magisterii gradum consequantur, in dicto Collegio sacrarum Litterarum studiis incumbere teneantur, nec possint intra triennium hujusmodi ad Doctoratus gradum quoquo modo aspirare, interim

rim tamen alii ejusdem Ordinis Baccalaurei, & ii forsan, qui a numero electorum tanquam parum idonei exclusi fuerant, alibi Magisterii gradum assequantur, qui postmodum supradictis Baccalaureis Collegialibus Sancti Bonaventuræ post ipsos ad Magisterii gradum promotis præcedere debere prætendant; quod in maximam eorumdem Collegialium, qui nisi in Collegium prædictum adscripti fuissent, ante illos eumdem gradum consequi potuissent, injuriam vergeret; unde si talis admitteretur consuetudo, nulli, aut pauci ejusdem Ordinis Baccalaurei ad Collegium prædictum accedere vellent; Quare Nos eorumdem Collegialium indemnitati consulere, ac illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus dilecti Filii nostri Alexandri Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Montalti nuncupati, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii, ejusdem Collegii Protectoris, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis ejusdem Collegii Sancti Bonaventuræ Collegialibus Baccalaureis, præteritis, præsentibus, & futuris, ut ex ipsa die, qua quisque ipsorum in Collegium prædictum adscriptus fuerit, omnibus, & singulis ejusdem Ordinis Fratribus, qui post eorum in dictum Collegium admissionem intra triennium, quo ipsi Collegiales in Collegio permanserint, Magisterii gradum consequuti fuerint, vel deinceps consequentur, in quibuscumque locis, processionibus & actibus, tam publicis, quam privatis præcedere, ac præferri in omnibus, & per omnia possint, & debeant, perinde, ac si ex ipsa die suæ in dictum Collegium

 admissio-

admiſſionis quilibet ex ipſis Collegialibus ad Magiſterii gradum promoti fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ſicque ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque ejuſdem Ordinis Superiores, ac alios Judices ordinarios, & delegatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari; Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris. Die Tertia Octobris, Milleſimo ſexcenteſimo primo, Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. Veſtrius Barbianus.



D E-

DECRETUM
CONGREGATIONIS GENERALIS
Patrum Min. Conv. in favòrem Collegialium D. Bonaventuræ

Fr. Jo. Baptista Berardicellus Larinensis Art. & Sac. Theologiæ Doct. Universi Ordinis S. Francisci Min. Conv. Minister Generalis.



UM Pastoralis muneris scopus inter cætera, quæ ad Religionis nostræ commune bonum conservandum spectant, eo præcipue tendat, ut ad pacem, quietemque inter Fratres procurandam, & procuratam in dies augendam toto studio, totisque viribus operam demus (omne namque Regnum in seipsum divisum desolabitur) eamque vero sæpesæpius non sine maximo Religionis detrimento, præsertim a prætendentiis circa præcedentiam, nedum turbari, verum & ab iisdem (id enim nobis in summo molestum est) rumòres, & scandala evenire noverimus; hinc ad quascumque lites vitandas, omnibusque inconvenientibus iter præcludendum, eis quam citius consulere (licet consulto) ultimate, ac definitive eas decidendo, ac terminando, summopere incumbimus, ea videlicet apponendo remedia, quæ rectam decent justitiam, qua redditur unicuique quod suum est. Quapropter in Definitorio Generalis Congregationis die 23. Maji currentis anni 1638. Romæ celebratæ, instantibus PP. Seraphici D. Bonaventuræ de Vrbe Collegialibus, sibi de jure deberi in quibuscumque actibus, publicisque functionibus digniorem præ cæteris Religionis Collegialibus, nedum

in Vrbe, verum & in omnibus nostræ Religionis Conventibus, eos præcipue includendo, qui Collegiales alunt, in quibus una commorari, vel quovis modo reperiri contigerit, locum obtinère, atque eisdem in omnibus præferri: Præterea, quia in examine pro Religionis Collegialibus ad præscriptum Bullæ Sum. Pon. Urbani Octavi Laurea decorandis Romæ mense Maii anni MDCXXXVII. habito coram Eminentissimo & Reverendissimo D. Cardidinali Lante Ordinis nostri Protectore, Nobis, aliisque Religionis insignioribus Patribus, eorum quidam per PP. Examinatores exclusi fuerant, quidam vero, licet idonei ad illam consequendam reperti, eam propterea non assequuti sunt, quia prædicti Summi Pontificis auctoritas pro Collegialibus Religionis laureandis Nobis impartita, non nisi ad certum numerum protendebatur; pro Collegio etenim Assisiensi ad octo, pro Bononiensi vero, Patavino, atque Neapolitano ad decem pro singulis Collegiis Collegiales jam laurea insignitos; Insteterunt ergo prædicti D. Bonaventuræ Collegiales dictis Religionis Collegialibus, tum a Doctoratus laurea exclusis, tum ad illam approbatis, non tamen laureatis, non obstante quod sexennium in Collegiis munera obierint, se similiter præponendos, nedum eousque dum Collegiatium nomina utrique retinuerint, verum & pro statu Magisterii, si præfatos Religionis Collegiales, sive ad lauream approbatos, non vero laureatos, sive ad illam non approbatos, in fine præsentis triennii, qui Anno 1640. erit futurus; vel intra præsens triennium laurea decorari contigerit.

Patribus igitur totius Definitorii Congregationis Generalis, diligenter primo examinatis, discussisque rationibus pro D. Bonaventuræ Collegialibus, nec non iis, quæ pro Religionis Collegialibus poterant afferri; attentis etiam Sixti V. & Clementis VIII. gloriosæ memoriæ summorum Pontificum Bullis, atque etiam Decreto nostro Anno præterito 1637. sub die 13. Maii in favorem Collegia-

legialium D. Bonaventuræ edito, decernere visum est, omnes, & singulos Seraph. D. Bonaventuræ Collegiales, ubique locorum, ubi una cum Religionis Collegialibus ipsos reperiri contigerit, maxime in Conventibus, in quibus Religionis Collegia erecta sunt, iisdem Religionis Collegialibus in quibuscumque actibus, & publicis functionibus jure præferendos, & præponendos: similiter eos Religionis Collegiales, tum ad lauream per examen idoneos judicatos, non tamen laureatos, tum etiam ab ipsa per Examinatores exclusos, eisdem Seraphici Divi Bonaventuræ Collegialibus digniorem locum, antianitatem, & præcedentiam cedere debere, tum in statu Collegii, donec. s. nomina Collegialium utrique retinuerint, tum in statu Magisterii, si prædictos Religionis Collegiales, sive ex approbatis ad lauream, & non laureatis, sive ex non approbatis in fine præsentis trienni, qui Anno 1640. futurus erit, vel intra præsens triennium laurea honestari contigerit, non obstante, quod per sexennium in Religionis Collegiis perseveraverint, & in iisdem per triennium ante ingressum Collegialium D. Bonaventuræ in idem Romanum Collegium, munera perfecerint, quod pariter respective in aliis futuris trienniis observari inter dictos Collegiales sancitum est.

Nos propterea ad pacem conservandam, scandala vitanda, rumoresque inter Fratres præcavendos sedulo invigilantes, Decretum hoc totius Diffinitorii Congregationis Generalis in favorem Collegialium D. Bonaventuræ in omnibus, & singulis clausulis, & particulis inviolabiliter observari, ut perpetuum silentium super lite de præcedentia inter prædictos Collegiales imponatur, volentes, hisce nostris, & qua munimur Generalatus auctoritate mandamus omnibus, & singulis Religionis Collegialibus, ut nullo pacto, nulloque prætextu huic nostro, totiusque Diffinitorii Congregationis Generalis sensui contradicere, resistere, seu quovis modo audeant refraga-

ri,


ri, ſub pœna contravenientibus privationis Collegii eo ipſo, aliiſque noſtro ſervatis arbitratui, ſi dum Collegiales; ſin autem cum Magiſtri; Magiſterii ſuſpenſionis ipſo facto, aliiſque ad noſtrum ſimiliter placitum infligendis, & in caſu inobſervantiæ contraventionis præcipimus ad meritum ſalutaris obedientiæ, & ſub pœna eorum officiorum privationis, Patribus pro tempore Provinciarum Provincialibus, & Conventuum Guardianis, atque Collegiorum Regentibus, in quibus caſus evenire contingat, ut hanc noſtram, totiuſque Definitorii mentem exequutioni mandare procurent.

In quorum Fidem &c. Datum Romæ Die 3. Junii 1638.

Fr. Jo. Baptiſta Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Jo. Donatus à Spinatiola Secr. Ord.



BRE-

B R E V E

SSMI DNI NRI

INNOCENTII XI.

Quo confirmatur Decretum a Sacr. Congreg. Episcoporum, & Regularium an. 1688. editum pro Collegialibus S. Bonaventuræ super præcedentia quo ad omnes alios Religionis Collegiales.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad futuram Rei Memoriam



Manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in causa præcedentiæ inter dilectos Filios Collegiales Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ex una, & Collegiales Collegii S. Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente, Decretum tenòris, qui sequitur, videlicet ,, *In causa Romana præcedentiæ vertente inter Collegiales Religionis Minorum Conventualium S. Francisci ex una, & Collegiales D. Bonaventuræ de Urbe ejusdem Ordinis ex altera, Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus informantibus, referente Eminentissimo de Angelis, censuit, ac declaravit, Collegiales S. Bonaventuræ præferendos esse omnibus aliis Collegialibus, etiam S. Francisci*

cifci Bononiæ , & Pragæ , admiffis ad Magifterium poft admiffionem ipforum Collegialium S. Bonaventuræ ad Collegium . Romæ 14. *Maii* 1688. G. Cardinalis Carpineus . Loco ✱ Sigilli . B. Panciaticus Secretarius . „

Cum autem , ficut pro parte Collegialium Collegii S. Bonaventuræ præfatorum Nobis fubinde expofitum fuit , ipfi decretum hujufmodi , quo firmius fubfiftat , & fervetur exactius , Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri plurimum defiderent ; Nos ipfos exponentes fpecialibus favòribus , & gratiis profequi volentes , & eorum fingulares perfonas a quibufvis excomunicationis , fufpenfionis , & interdicti , aliifque Ecclefiafticis fententiis cenforis , & pœnis a jure , vel ab homine quavis occafione , vel caufa latis , fi quibus quomodolibet innodati exiftunt , ad effectum præfentium dumtaxat confequen. harum ferie , abfolventes , & abfolutos fore cenfentes , fupplicationibus eorum nomine nobis fuper hoc humiliter porrectis , inclinati , Decretum prædictum auctoritate Apoftolica tenòre præfentium approbamus , & confirmamus , illique inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adijcimus , falva tamen femper in præmiffis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium . Decernentes , eafdem præfentes literas firmas , validas , & efficaces exiftere , & fore , fuofque plenarios , & integros effectus fortiri , & obtinère , ac illis , ad quos fpectat , & pro tempore fpectabit , pleniffime fuffragari , & ab eis refpective inviolabiliter obfervari , ficque in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios , & Delegatos , etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores , judicari , & definiri debère , ac irritum , & inane fi fecùs fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter , & ignoranter contigerit attentari . Non obftant. Conftitutionibus , & Ordinationibus Apoftolicis , ac quatenus opus fit Collegiorum , & Ordinis præfatorum etiam juramento , confirmatione Apoftolica , vel quavis firmitate alia

alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 29. Novembris MDCLXXXVIII. Pontificatus Nostri anno decimotertio.

I. F. Albanus.

Romæ die 30. Novembris 1688. præsentes Litteræ Apostolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt per me F. Bonaventuram Fontanam de Malleis Vice-Secretarium Ordinis, & Provincialem Provinciæ Angliæ, præsentibus Patribus, & Fratribus Conventus congregatis ad sonum campanulæ jussu Patris Reverendissimi Magistri Antonii Aversani de Aversa Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium in solita residentia, ac per eumdem executioni demandatæ, Testibus &c. In quorum fidem &c.

Fr. Bonaventura Fontana a Malleis Vice-Secretarius Ord. ac Provincialis Angliæ manu propria.

Fr. Joseph de Cavis Guardianus Conventus manu propria.

Er. Laurentius Fabri a Bon. Cons. S. Officii &c. fui præsens &c.

Fr. Philippus Oliverius de Urbino fui præsens &c.

Alterum Sac. Congregat. Episcoporum, & Regularium Decretum editum an. 1753. favore Collegialium S. Bonaventuræ super præcedentia quo ad Patres de *Domo*, *& Discretos perpetuos*, una cum Encyclica P. Ministri

 Gene-

Generalis Ordinis de mandato ejusdem Sac. Congreg. universæ Min. Conv. Religioni eadem de hac ipsa re directa.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, auditis P. Ministro Generali, ac P. Procuratore Generali, decrevit, & declaravit: Præcedentiam competere Collegialibus S. Bonaventuræ de Urbe super Patribus nuncupatis de *Domo*, *&* *Discretis perpetuis*, & sic observari mandavit; & mandat P. Generali, quatenus pro omnimoda executione det Litteras Encyclicas toti Ordini.

Romæ 6. Aprilis 1753.

Loco + Sigilli.

C. A. Card. Cavalchini

Joseph Maria Arch. Damasc. Sec.

ENCYCLICA MINISTRI GENERALIS.

Intus. M. R. P. „ Vengo avvisato da Monsignore Segretario della Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari, che essendo stata esaminata da quel Tribunale l'istanza fattagli per parte del Collegio di S. Bonaventura sopra la precedenza, che possa competere ai Collegiali del detto Collegio, ed abbia la medesima Congregazione decretato nella maniera seguente: *Præcedentiam competere Collegialibus S. Bonaventuræ de Urbe supra Patribus nuncupatis de Domo, & Discretis perpetuis*: Perciò V. P. M. R. si contenterà di rendere intesi tutti que' Conventi di sua Provincia, che fanno i Padri di Casa, e dove pure si trovano Discreti perpetui. Preghi il Signore &c. Roma 10. Aprile 1753.

Fratello nel Sig. e Servo &c.

F. Antonio Calvi Ministro Generale.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
IIIDIVINA IROVIDENTIA PAPÆ VI.

EPISTOLA DECRETALIS

PIVS PAPA SEXTUS

Ad perpetuam rei memoriam.



Omanum decet Pontificem iis præsertim cognoscendis finiendisque causis operam dare, quæ inter S. R. E. Cardinales ob divini cultus, studiorumque rationem aguntur; ac æque par est, ut cum illæ ex Apostolicis suorum Decessorum Litteris sint exortæ, ac sæpius in contentionem deductæ, ad ipsum tamquam ad fontem, unde manarunt, revocentur: quo tandem fiat, ut initiis suis exitus plane consentiant.

Cum itaque obitu Cardinalis Alexandri Albani instaurata nuper fuerit inter tres S.R.E. Cardinales, nimirum Venerabilem Fratrem Nostrum Joannem Franciscum Albanum Episcopum Ostiensem, & Veliternensem, ac Dilectos Filios Nostros Marium Tituli S. Augustini Maresuscum, & Innocentium Tituli S. Silvestri in Capite de Comitibus quæstio super pertinentia *Protectionum* tum Cappellæ ad Præsepe Jesu Christi in Basilica S. Mariæ Majoris, tum Collegii S. Bonaventuræ in Conventu SS. XII. Apostolorum de Urbe, tum Collegii Montis Alti in Civitate Bononiæ, quas felicis recordationis Sixtus PP. V. Prædecessor Noster suis Apostolicis Litteris datis v. Id. Jun. & Non. Octobris Anni 1586. & xv. Kal. Decembris Anni 1588. certis quibusdam Legibus constituit; Nos considerantes, hujusmodi quæstiones in singulis fere

Protectionum vacationibus excitatas dirimi hactenus nequivisse judiciis particularium Congregationum, & Rotæ Auditorii, pro Personarum & rei dignitate duximus Causam ad Nos avocare, eamque omnibus sedulo perpensis juribus, ac rationum momentis a memoratis Cardinalibus ad Nos scripto delatis, & in consilium adhibitis tribus Dilectis Filiis præstantibus Consistorii Nostri Advocatis, in quos ob publica, quibus unice funguntur, munera, nulla cadere potest privati studii suspicio, iisque concordibus animis cum Nostro antea percepto, & intra Nos retento Judicio consentientibus, ita definire decrevimus, ut nedum præsenti, sed futuris etiam controversiis prospiceretur.

Et quoniam res tota a Sixti voluntate pendet, opus est, ut illam singulariter in Causa judicanda spectemus. Tres fuerunt a Pontifice constituti Ordines Protectorum, quorum alterum alteri substituit, ut ex Litteris, quas modo memoravimus, aperte dignoscitur. Nam ex hac vita decedens Cardinalis Alexander Perettus suus ex Sorore Pronepos; in quem tres *Protectiones* Sixtus cumulaverat, vocavit primo *antiquiorem S. R. E. Cardinalem*, vel ex *nostra Familia* tantum, ut in erectione Collegii S. Bonaventuræ, vel ex *nostra Familia & Parentela*, ut in aliis duabus erectionibus factum est. Hisce autem deficientibus, vocavit secundo *antiquiorem Cardinalem ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum*; & eo denique non extante, vocavit tertio in Defensorem Cappellæ *primum Presbyterum Cardinalem pro tempore existentem*, in Defensorem Collegii S. Bonaventuræ *Protectorem Ordinis Minorum Conventualium*, & in Defensorem Collegii Montis Alti alium Cardinalem quem *Rector & Scholares* duxerint eligendum, hac tamen adjecta lege quoad Cappellam, *ut licet nullo existente Nostri sanguinis Cardinale, alius ad id, ut præfertur, vocatus Cardinalis munus Protectoris hujusmodi*

obire

obire & exercere incæperit, nihilominus si postmodum contingat, aliquem Nostræ Familiæ & Parentelæ ad Cardinalatus honorem assumi, is in ejusdem muneris functione præferri debeat, & constitutio & deputatio cujusvis alterius in Protectorem hujusmodi facta eo ipso cessare, & expirare debeat.

Hac præcognita Pontificis voluntate ad duo capita redigi potest triangularis, quæ nuper orta est, concertatio, ad *Parentelam* nimirùm, & ad *Originem* ex Provincia Marchiæ Anconitanæ. Nam Cardinalis Innocentius de Comitibus uti Consanguineus Dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Francisci Sfortia descendentis a Fœmina de Familia Peretti contendit se in *primo* vocatorum Ordine contineri quoad *Protectionem* tam Cappellæ ad Præsepe, quam Collegii Montis Alti, ad quas antiquior Cardinalis vocatur *ex Nostra Familia & Parentela*. Contra veró Cardinalis Joannes Franciscus Albanus ex Nostra Urbini Civitate oriundus duabus hisce *Protectionibus* ultrò remissis, contendit, se esse *in secundo* genere vocatorum quoad *Protectionem* Collegii S. Bonaventuræ, quæ cum in prima Sede ad solos Cardinales de Nostra Familia fuerit coercita, cumque Familia Peretti jam omnis defecerit, sibi unice tamquam *Cardinali antiquiori Provinciæ Marchiæ* Anconitanæ Oriundo debeatur. Tandem Cardinalis Marius Maresuscus Maceratæ natus, putat has tres *Protectiones* sibi dumtaxat esse adjudicandas, cum neget Cardinalem de Comitibus esse Sixti V. consanguineum, & Cardinalem Albanum esse ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum.

Ut itaque seorsim agatur de utroque controversiæ capite, ad *Parentelam*, quod attinet, utique cæteris esset præferendus Cardinalis de Comitibus, si is ex Familia Peretta, & ex sanguine Sixti V. descenderet. At quoties ab eadem Familia nec per mares, nec per fœminas originem trahit, nulloque proinde, ut ipse agnoscit

ſcit Cardinalis, ſanguinis vinculo eidem Familiæ & Pontifici jungitur, ſed tantum per medium Fœminæ Victoriæ de Comitibus Amitæ ſuæ nuptæ Duci Cajetano Sen. Sfortia, conſanguineus eſt Ducis Franciſci, ſane ejus poſtulatio locum non habet, tam ſi *noſtræ familiæ* vocabulum, quam ſi *parentelæ* nomen ſpectetur. Quamvis enim familiæ ſignificatio varie accipi poſſit, & eo nomine non Agnati ſolum, ſed etiam Cognati, immo Gener & Nurus aliquando comprehendantur, communi tamen, & proprio jure *Familia* indicat Agnatos, & illi ejuſdem familiæ appellantur, qui ex eadem Domo & Gente ſunt. Porro dubium non eſt, quin propria & communi ſignificatione fuerit a Sixto V. *familiæ* nomen uſurpatum, nam ſemel ac vocavit ipſe primo loco Cardinales *de noſtra Familia*, ex propria vi illius poſſeſſivi = *Noſtra* = idem eſt, ac ſi addito cognomine, vocaſſet Cardinales de Familia, & Agnatione Peretta, ab eodem Pontifice in deſcendentia Sororis inſtaurata, ut alias declaratum eſt in Conſtitutionibus Collegij S. Bonaventuræ a Cardinali Alexandro Peretti de mente ipſius Pontificis editis, & ab eodem in ſpecifica forma confirmatis, & ut re plene diſcuſſa in lite acta Anno 1671. inter Cardinalem Paulum Sabellum, & Decium Azzolinum definitum eſt a noſtro Rotæ Auditorio.

Neque majus aderit Cardinali de Comitibus præſidium ex latiori illo Vocabulo *Parentelæ*. Ii ſiquidem inter ſe conſanguinei appellantur, & ſunt, qui ab eodem ſanguine proficiſcuntur. In his cenſentur Cardinales omnes Cognati, & deſcendentes ex fœminis, qui in priori familiæ appellatione minime continebantur; ſed non cenſentur, nec cenſeri poſſunt ii, qui a Sanguine Familiæ non deſcendunt, ac propterea non ſunt ipſi Familiæ conſanguinei. Non enim Pontifex vocavit Cardinales de Parentela hæredum, & Succeſſorum, aut Conſanguineos Conſanguineorum, ſed conſulto, atque iterato

iterato vocavit DE NOSTRA *parentela* Cardinales, habita relatione *ad se ipsum*, ex qua sicuti ambigi non potest, quin soli Fundatoris Consanguinei fuerint honorati, ita ambigendum non est reliquos omnes exclusos fuisse; Quamvis enim isti possint esse Successorum, & hæredum consanguinei, extranei tamen sunt quoad Fundatorem, cujus persona debet spectari. Idque fit evidentius ex aliis etiam Pontificiæ dispositionis partibus, ubi *substitutos* ad *Protectiones* admittendos esse edixit, *existente nostri Sanguinis Cardinale*, & ubi tertio in Cappella Sepulchrum *pro nostris dumtaxat consanguineis* sepeliendis assignavit. Quæ quidem omnia optimè declarant diversos esse nequivisse Cardinales de nostra Familia, & Parentela, quam Cardinales nostri Sanguinis; immo in ore, & mente Pontificis ea Vocabula fuisse Synonyma.

Nec secus significavit Pontifex, ubi in iisdem litteris erectionis Cappellæ ad Præsepe, deficientibus lineis masculinis, & fœmininis primum Michaelis, deinde aliorum omnium ex sua Sorore pronepotum, substituit in Jurepatronatus Cappellæ, ejusque Cappellaniarum *eum, qui nobis fuerit Sanguine proximior*. Ideo enim hæc postrema substitutio, a qua argumentum trahitur ad *Protectiones*, porrigi contenditur ad consanguineos Consanguineorum, quia supponitur post extinctas memoratas lineas masculinas, & fœmininas Pronepotum ad Juspatronatus vocatas, neminem superesse potuisse ex Pontificis sanguine, ac proinde substitutionem eamdem, ne otiosa dicatur, aptari Consanguineorum Consanguineis oportere. At hujusmodi interpretationi verba resistunt, & facta: Latère Pontificem non poterat Parentela sua; Quapropter si verè nulli sibi fuissent Consanguinei præter Descendentes suorum ex Sorore Pronepotum, non utique eis in Jurepatronatus substituisset illum, qui *sibi* esset *Sanguine proximior*. Impropria loquutio, ac falsa demon-

demonstratio si nemini; eo sanè minus adscribendæ sunt Pontifici Maximo de re familiari sibi notissima loquenti. Exhaurivit Ipse quidem in vocatione Successorum ad Juspatronatus Cappellæ universam Descendentiam suorum ex Sorore Pronepotum, omnesque proinde exhaurivit Consanguineos suos *de Lineis contentivis proximis & inferioribus*; Sed cum idem non fecerit quoad alios suos Consanguineos Linearum Transversalium superiorpm tam ex latere Patris, quam ex latere Matris, qui *Lineas contentivas remotas* efformabant, hos profectò, qui verè de ipsius Sanguine erant, putandum est Pontificem invitasse ad Juspatronatus in postrema Substitutione illius, *qui fuerit de nobis Sanguine proximior*. Revera memoriæ proditum est a Scriptoribus fide dignis, & publicis etiam comprobatur monumentis Patrem Sixti V. plures habuisse Sorores pluribus nuptas Familiis, aliosque eidem Pontifici non defuisse Consanguineos, quos inter nostrum Rotæ Auditorium in præfataLite Anni 1671. recognovit ipsummet Cardinalem Andream Baronum ex Provincia Marchiæ, qui post mortem Cardinalis Alexandri Peretti *in Protectionibus nunc controversis successit*.

Quidquam obesse nec potest, agi de dispositione perpetua, & de materia favorabili; Nam efficit id quidem, ut quot sunt, aut esse possunt veri Consanguinei Pontificis, ii quovis in gradu sint, omnes admittantur; Sed efficere minimè potest, ut ii admittendi sint, quos littera non comprehendit.

ALTERUM controversiæ caput in eo versatur, num *Urbini Civitas* ex qua originem ducit Cardinalis Joannes Franciscus Albanus, sit intra fines Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, ita ut is haberi debeat *pro antiquiori Cardinali ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundo*, quem secundo loco Pontifex ad memoratas *Protectiones* invitavit. Paucis tamen quæstio ista absolvitur. Relicta enim Dispu-

Disputatione de Finibus *antiqui Piceni*, ac de ejus *Pentapoli*, quam in exordio alterius controversiæ egit Lucubratio pro jamdiu defuncto Cardinali Annibale Albani occasione inferius memorandæ Litis evulgata, & inscripta = *Status Geographicus Marchiæ Anconæ pro intelligentia Textus trium Bullarum Pontificis Sixti V. super antiquiori Cardinali Marchiæ vocato ad Protectionem Cappellæ Sixtinæ in Basilica S. Mariæ Majoris, & duorum Collegiorum Montis Alti Bononiæ, & S. Bonaventuræ Urbis edit. Rom. 1726.*; illud profectò extra controversiam est positum Provinciam Marchiæ Anconitanæ jam inde ab eo tempore, quo Provincia est constituta, ad nostram ætatem usque, fuisse semper re, legibus, juribus, consuetudinibus, privilegiisque distinctam, ac separatam ab Urbini Civitate, ejusque Ducatu, si solæ Ægidianæ Constitutiones excipiantur; Quæ quidem ea una de causa in Vrbinatensi Ducatu viguerunt, dum Cardinalis Ægydius Legati munere fungebatur, quia idem Cardinalis tamquam Vicarius *Generalis Papæ* omnimoda auctoritate pollebat in universa Ecclesiastica Ditione. Cæterum Legati omnes, qui Ægidium antecesserunt, aut sunt consecuti, sese subscripserunt distincto illius Legationis nomine, quam obibant, & Rectores *Marchiæ*, *Spoleti*, *Urbini*, aliarumque Provinciarum fuerunt nuncupati, ut vetera, & recentiora diplomata testantur, & concors est Geographorum, aliorumque Scriptorum sententia, si pauci demantur, qui rerum ignari in errorem prolapsi sunt, vel quia divisiones spectarunt Provinciarum, quæ a Religiosis Viris pro libitu fiunt, vel quia spirituales Diœcesum fines cum temporalibus miscuerunt.

Id clarius evincitur, si tempora spectentur, quibus Pontifex hasce *Protectiones* instituit. Tunc enim *Marchiæ Anconitanæ Provincia* pleno dominio Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis suberat; Urbinum verò non item.

 Con-

Constat enim Ducatum illum multis ante Sixtum annis concessum a Sancta Sede fuisse Familiæ de Ruvere per formalem, ut ajunt, infeudationem cum pleno imperio, regalibus, & jure Principatus, illiusque potestati paruisse. Quæ si advertantur, planum est, Vrbini Civitatem, & Ducatum, qui tunc ex Provinciis Apostolicæ Sedi immediatè subjectis non erat, his verbis = *ex Provinciæ Marchiæ Anconitanæ* = comprehendi minimè potuisse. Juris enim est non ambigui, verba intelligenda esse secundum tempus, quo fuerunt prolata; Eo vel magis quia cum idem Pontifex fundavit, erexitque Collegium Montis Alti, ita nuncupatum ex loci nomine, ubi is natus fuerat, disertè declaravit, illud ab se erectum, fundatumque fuisse, ut consuleret *locis temporali nostræ Ditioni subjectis*, utque *Provinciæ nostræ Anconitanæ* prospiceret, ac transiens subinde ad Cardinalem ejusdem Collegii Protectorem, invitavit post Cardinales consanguineos, *Cardinalem EX DICTA PROVINCIA Marchiæ Anconitanæ oriundum*; Quibus sanè verbis Ducatum Vrbinatensem, & Vrbinates temporali Ditioni tunc non subjectos, fuisse dilucidè exclusos facilè est intelligere. At verò ambigi nequit, quin Sixtus V. in omnibus iis dispositionibus, in quibus Marchiam Anconitanam nominavit, de una, eademque Provincia semper fuerit locutus.

Sed pluribus opus non est, semel ac constat, Marchiæ Anconitanæ Provinciam ab Vrbini Ducatu habitam ab eodem Pontifice fuisse pro distincta, & separata. Constat enim ex Litteris Apostolicis datis Idib. Martii 1589. Pontificem Sixtum erexisse Rotæ Tribunal in Civitate Maceratæ *pro felici regimine Provinciæ nostræ Marchiæ*: Et huic quidem cuncta Provinciæ Loca submisisse, sed non item partem ullam Urbinatensis Ducatus, cum illum extra Marchiæ Provinciam situm esse censuerit. Monstrant item aliæ ejusdem Pontificis Apostolicæ Lit-

teræ

teræ datæ IX. Kalend. Junii 1589. Ecclesiam Episcopalem Firmanam tot prærogativis illustrem fuisse ab Ipso erectam in Ecclesiam Archiepiscopalem, eo quod *in Provincia Marchiæ nulla esset Metropolis Ecclesia*: Id autem nec asseruisset Pontifex, nec asserere revera potuisset, si Ducatum Vrbinatensem ex ea putasset Provincia: Nemini enim meliùs quam ei notum erat Vrbinatensem Ecclesiam ante annos viginti quinque, scilicet anno 1563. in Metropolim erectam a Pio IV. felic. record. Pontifice fuisse. Quo in loco prætereunda non sunt ea, quæ in iisdem litteris consulto addidit Pontifex, dum ait = *Quemadmodum Firmum Picenum olim nominabatur, ita aliis temporibus Marchiam Firmanam vocatam fuisse, quod Firmum primaria Civitas in dicta Provincia existeret* = Hisce enim animadversis planum est, ab eo usque tempore desiisse distinctionem inter Marchiam Firmanam, & Anconitanam, & tum Firmum, tum alia totius Provinciæ loca non per extensionem, sed proprio, & communi usu sub uno Provinciæ Marchiæ Anconitanæ vocabulo comprehensa fuisse.

In tanta rei luce, si qua possessio, aut consuetudo ab Vrbinatibus afferri posset in medium, ea spectanda non esset: Jus enim clarum vincit causam possessionis, & quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine est invectum, id diutiùs servari non decet. Cæterum observantia Vrbinatibus magis obest, quam prosit. Nam Vrbinum, ejusque Ducatus etiam, post illius devolutionem ad S. Sedem, non secùs atque antea, remansit ab omni alia Provincia disjunctus, ita ut cum Provincia Marchiæ Anconitanæ nihil omnino habeat commune: Ad *Protectiones* verò quod attinet, eas obtinuit quidem omnium primus Cardinalis Gaspar de Carpineo, mox Cardinalis Annibal Albanus, tandemque Cardinalis Alexander ex eadem Albana Familia; omnes ex Vrbino oriundi; At primus si duas ex illis

 obti-

obtinuit anno 1689., id nonnisi ex Transactione factum est, inter ipsum inita, & Cardinalem Petrum Matthæum Petruccium Æsinatem, qua fuit cautum, ut *Protectiones* dividerentur inter eos cum lege reversionis favore superstitis, hac insuper adjecta declaratione, ut nullum ex hoc placito illatum censeretur hodiernæ, tunc etiam promotæ quæstioni præjudicium: quo fit, ut hæc privata, & circumspecta Conventio afferri in exemplum non queat. Alii vero Cardinales duo per id temporis *Protectiones* obtinuerunt, quo nullus aderat ex Provincia Picena Cardinalis, tacentibus cæteris in eum casum substitutis, quorum proinde silentium nocere non posse Successoribus in tertio hoc Ordine comprehensis, & ex jure proprio venientibus est exploratum.

At præteriri non debet, Cardinalem Annibalem Albanum, suscepta antea Lite cum Cardinali Prospero Marefusco Maceratensi coram Congregatione Particulari a Benedicto XIII. fel. record. Pontifice deputata, editisque hinc inde Allegationibus, Dissertationibusque, de quibus supra meminimus, ultrò eidem Liti cessisse, & id *facto* agnovisse, quod *verbis* etiam professus fuit in Commentario Vitæ Clementis XI. ab se evulgatæ, ubi dicitur, esse *Urbinum Nobile Umbrorum municipium*. Quæ autem modo a Card. Joanne Francisco Albano adjiciuntur, se esse Protectorem Provinciæ Marchiæ, Ecclesiæ, & Collegii Piceni Urbis, & loca duorum Collegiorum Piceni, & Montis Alti adolescentibus ex Provincia Marchiæ addicta, Urbinatibus etiam collata aliquandò fuisse, ea levia admodum sunt. Nam nulla lex scripta est, quæ præcipiat, ut soli ex Provinciæ Marchiæ Cardinales patrocinium suscipiant ejusdem Provinciæ, Ecclesiæ, & Collegii in Urbe existentis, sed arbitrio, placitoque Deputatorum Nationis eliguntur. Quoad loca verò duorum Collegiorum Urbinatibus adolescentibus collata, aut id ex erronea opinione factum

est,

est, aut loca ex iis esse potuerunt, quæ in Sixtinis Litteris pro Collegio Montis Alti editis reservata sunt liberæ Cardinalis Protectoris dispositioni.

Deest igitur jus omne tum Cardinali Innocentio de Comitibus, tum Cardinali Joanni Francisco Albano. Hinc reliquum est, ut Cardinali Mario Maresusco, qui ex Provincia Marchiæ Anconitanæ certam habet originem, & antiquior est cæteris ejusdem Provinciæ Cardinalibus, *Protectiones omnes* unicè debeantur. Quare finem huic controversiæ imponentes *decernimus*, *Protectiones Cappellæ ad Præsepe in Basilica S. Mariæ Majoris, Collegii S. Bonaventuræ in Conventu XII. Apostolorum de Urbe; & Collegii Montis Alti in Civitate Bononiæ spectare ad dilectum filium nostrum Cardinalem Marium Maresuscum cum omnibus juribus, præminentiis, legibus, & conditionibus, quæ in sæpius memoratis litteris* felicis recordationis Pontificis Sixti V. continentur: & proinde *VOLUMUS ET MANDAMUS, ut is qua verus supradictorum trium locorum Protector, & Defensor ab hac die imposterum cunctos possessionis actus, & jura exercere liberè valeat, & qua talis ab omnibus agnoscatur, recipiaturque, quavis contradictione, & reclamatione remota.*

Verum quia mens nostra est, ut quoad fieri possit, futuro etiam tempore omnium litium, dissidiorumque semina in *Protectionibus* istis optandis elidantur, ideo nos morem, & exempla sequuti Prædecessorum Nostrorum, qui sæpius novis Constitutionibus editis veterum legum ambiguitatem providè sustulerunt, enunciatas Sixtinas litteras interpretando, explicando, & supplendo cohærenter ad ea, quæ supra constituta sunt, ex certa scientia quasdam adiicimus MOTU PROPRIO, & auctoritate nostra Apostolica declarationes, quæ instar legis perpetuo valituræ habendæ sint, perinde, ac si in iisdem litteris appositæ usque ab initio fuissent.

Decla-

Declaramus itaque, & præcipimus, ut ſubſtitutio Cardinalium *de noſtra Familia*, quæ primo loco facta eſt, quoad *Protectionem* Collegii S. Bonaventuræ, habeatur pro extincta, cum Familia, & Aguatio Peretta, ad quam fuerat coercita, jamdudum defecerit, & ut deinceps *Protectio* ejuſmodi excluſis omnibus Cardinalibus cognatis, ſpectet tantum ad antiquiorem ex Provincia Marchiæ Anconitanæ Cardinalem, eoque non exiſtente, ad Cardinalem Protectorem Ordinis Minorum Conventualium, ab eodem Pontifice Sixto V. ſubſtitutos. Hinc approbamus, & confirmamus latum hac in re a Rota judicium inter Sabellum, & Azzolinum S. R. E. Cardinales in deciſione Nobis exhibita, cui Titulus „ *Romana, & Bononien. Protectionum* 20. *April.* 1671. *coram Albergato*, & cui perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus ejus tenorem pro expreſſo habentes, etiamſi deciſio iſthæc typis impreſſa non fuerit, & aliis quibuſcumque non obſtantibus defectibus.

Declaramus præterea, & decernimus, ut Cardinales tantum *de cognatione, & conſanguinitate Sixti V.*, quocumque in gradu ſint, ad alias duas *Protectiones* Cappellæ ad Præſepe, & Collegii Montis Alti ante alios admittantur, & ut illis ſalvum ſit jus avocandæ *Protectionis* Cappellæ a cæteris Cardinalibus ſubſtitutis eo modo, quo in litteris Erectionis ejuſdem Cappellæ præſcriptum eſt. Qua in re ſicuti duæ ſunt Congregationum Particularium ab Urbano VIII., & ab Alexandro VII. deputatarum invicem pugnantes reſolutiones, a quarum altera jus ejuſmodi Cardinali Erancisco Peretto probatum fuit, altera autem ad poſtulationem Nationis Picenæ confirmata a Clemente IX. ſuis Apoſtolicis Litteris datis die 25. Maii anni 1668. Cardinali Virginio Urſinio negatum, ita penitus abrogata ſecunda hac reſolutione, ejuſque confirmatione, quam idem Clemens IX. ad viam juris redegit eo ipſo quod cauſam ſubinde ortam inter Sabellum

lum Sixti V. Pontificis consanguineum, & Azzolinum Rotæ Auditorio *prout de jure* definiendam commisit, priorem illam resolutionem approbamus, & inviolabiliter servandam esse præcipimus.

Declaramus etiam, & præscribimus, ut Cardinales oriundi ex Urbino, ejusque Ducatu, ne deficientibus quidem Cardinalibus ex Provincia Marchiæ, *ad Protectiones* imposterum admitti valeant, quum in præjudicium aliorum vocatorum subsidiaria hæc admissio concedi nequeat iis, qui a Provincia Marchiæ Anconitanæ omnino extranei nullum habent vocationis primordium.

Cum vero dubitari possit comprehendi, nec ne debeant nomine Cardinalium ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundorum Cardinales ex nostris Civitatibus *Camerini*, & *Fani* oriundi: Etenim ex una parte constat *Camerinum* suos habuisse Duces, & ad Umbriæ Provinciam pertinuisse; In *Fano* autem ideo servandam non esse Constitutionem Carpensem, inter cætera edixit Rotæ Tribunal *in Fanen. Salviani* 16. *Aprilis* 1717. *coram Gamaches*, quia cum Geographis censuit eam Civitatem intra limites Provinciæ Marchiæ non esse, sed sitam reperiri in Provincia Umbriæ: Parte vero ex altera notum est, utramque Civitatem fuisse a Sixto V. enumeratam inter Civitates Provinciæ Marchiæ in suis Apostolicis Litteris datis Id. Martii 1589. in quibus *non obstantibus Constitutionibus dictæ Provinciæ, & Locorum Statutis, Legibus, Naturis, & Privilegiis pro ea vice dumtaxat specialiter & expresse* derogatis, Rotam Maceratensem *pro felici Regimine Provinciæ Marchiæ* instituit, quæ Litteræ confirmatæ fuerunt primum a Gregorio XIV. per alias Litteras diei 12. Julii 1591. & deinde, præviis duabus Rotæ Decisionibus, ab Innocentio X. per Litteras diei 5. Martii 1646.: Nec non *Camerini* Urbem, ex qua ortum habuit Mater Sixti V. fuisse ex præcipua ejusdem Pontificis beneficentia decoratam nominatione

trium

trium Civium suorum ad totidem Scholarium Loca in Collegio Montis Alti per Litteras Apostolicas datas xv. Kalen. Decembris 1588.

Hinc, ut ambiguitatem omnem, quæ futurarum hac in re contentionum causa facile esse posset, præcidamus, eam elegimus viam, quæ juris rationi, & Pontificis actibus visa Nobis est magis consentanea. Quapropter supradictarum Litterarum Apostolicarum, cæterorumque omnium monumentorum tenore præ oculis habito, animadvertentes vocationem Cardinalium, ex incontrovertibilibus Locis Provinciæ Marchiæ oriundorum *explicitam* habere vocationem in Litteris illis Apostolicis, in quibus tres nunc controversæ *Protectiones* institutæ fuerunt; Cardinales vero Camerinenses & Fanenses vocationem eamdem non aliter sibi asserere posse, quam *inductive* ex aliis mox relatis ejusdem Sixti V. Litteris ad alios effectus editis, in quibus Camerinum & Fanum cæteris Provinciæ Marchiæ Locis quodammodo aggregavit: itemque considerantes majora erga Camerinum, quam erga Fanum Pontificem ipsum exhibuisse suæ dilectionis & munificentiæ argumenta, statuimus, ut ad *Protectiones* primo admittatur antiquior Cardinalis oriundus ex iis Provinciæ Marchiæ Civitatibus, Oppidis, & Locis, quibus naturalis, indubia, & incontrovertibilis Marchiæ Anconitanæ proprietas suffragatur; Horum autem Cardinalium nemine extante, antiquior admittatur Cardinalis oriundus ex Civitate Camerini, ejusque Comitatu; Quorum nemo si adsit, admittatur antiquior Cardinalis ex Civitate Fani, ejusque Locis oriundus. Volumus tamen ut per hoc non sit, nec censeatur quidquam in cæteris innovatum quoad naturam, statum, conditionem, & jura prædictarum Civitatum Camerini & Fani, sed illa non secus, ac jura omnia Provinciæ Marchiæ Anconitanæ in reliquis salva, integra, & in suo robore ac firmitate permaneant.

Et

Et quoniam inter Cardinales ad hujusmodi *Protectiones* vocatos alia etiam excitari potest quæstio, an *Oriundi* censeri debeant Cives tantum ex *nativitate*, vel alii etiam ex *origine*, *allectione*, *ac privilegio*, quive inter eos servandus sit successionis ordo; Idcirco ut hisce etiam in futurum forsan excitandis dissidiis occurramus, mentem interpretantes Sixti V. Prædecessoris Nostri, decernimus Cives ex sola allectione, vel privilegio, appellatione oriundorum non comprehendi; Eos vero qui tales sint nativitate, & origine ex locis memoratis, esse ad *Protectiones* admittendos juxta antiquitatis ordinem & mox præscriptam pro diversis regionibus unius post alium successionis methodum; Verumtamen originarios ad præsentem effectum, eos tantum censendos esse a Pontifice Sixto invitatos, qui patrem habuerint in Locis illis natum: Quod si tandem omnes isti Cardinales non extent, tunc reliqui postremo succedant, qui fuerint a Sixto V. nominatim substituti, nempe in *Protectione* Cappellæ ad Præsepe primus Cardinalis in Ordine Presbyterorum, in *Protectione* Collegii S. Bonaventuræ is, qui erit Protector Ordinis Minorum Conventualium, & in *Protectione* Collegii Montis Alti ille Cardinalis, quem Rector, & Scholares elegerint.

Ut autem hæc omnia perpetuo firma sint, volumus præsentem Nostram Sanctionem & Schedulam Motus Proprii nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, sive eam infringi, invalidari, seu revocari posse, sed illam semper validam, & efficacem existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, nec non inviolabiliter observari, etiamsi auditi non fuerint Dilecti Filii Urbinates, Camertes, Fanenses, aliique, quorum interesse poterat, quum ex deliberata nostra voluntate omnia processerint: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios,

 & Com-

& Commiſſarios quavis auctoritate fungentes etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etſi de Latere Legatos, ſeu Vicelegatos, aut Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, & Clericos, & quoſcumque alios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicari, & definiri ac ſententiari debere, nec non quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Non obſtantibus Conſtitutione PII IV. Prædeceſſoris Noſtri de regiſtrandis, Regula Cancellariæ de jure quæſito non tollendo, & quibuſque aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Indultis, uſibus, conſuetudinibus, quibus omnibus ad præmiſſum effectum dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem ut hujuſmodi Decretalis, & Schedulæ tranſumptis, ſeu Exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Sententiæ, Declarationis, & Voluntatis infringere, vel auſu temerario contraire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XII. Maii MDCCLXXX. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

PIUS PP. VI.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica die & Anno prædict. Lib. Signaturar. SSmi exiſten. in Actis Seraphini Clarelli ejuſdem Cameræ Secretarii, & Cancellarii.

SE-